Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Getty Research Institute


https://archive.org/details/petrilaurembergi00laur

C. D. Darlington
1943

[illegible stamp]

bought for the sum of one pound

36 col'd plates



PETRI
LAUREMBERGII
Roſtochienſis,

APPARATUS PLANTARIUS:

Tributus in duos libros.
I. DE PLANTIS BULBOSIS.
II. DE PLANTIS TUBEROSIS.

Quibus

EXHIBENTUR PRÆTER NOMENCLATURAS, MULTIPLICES EARUM DIFFERENTIÆ & ſpecies; Vires; Uſus tam culinarius quam Medicus: Cultura ſive ratio eas plantandi, conſervandi, propagandi. Itemque quæ Poetæ, Philologi, Philoſophi, ſacræ litteræ, &c. de iis memoratu digna annotarunt.

ADIUNCTÆ SUNT PLANTARUM QUArundam novarum novæ Ichnographiæ, & deſcriptiones.

M DC LIV.

Francofurti ad Mœnum Sumptibus
Matthæi Meriani

VIRO PRÆSTANTISSIMO ET
EXPERIENTISSIMO

DN. CASPARO PANTZER,

PETRUS LAUREMBERG S.

I*Amdudū tibi debebam, Pantzere ornatiſſime, hoſtimentum aliquod, & amici ac propenſi erga te animi* τεκμήριον. *Sed temporum iniquitas & ærumnabilis ſors, quæ cum patria noſtra hactenus conflictata fuit, ex transverſo incurrens, à propoſito me deſiſtere coëgit. Nunc poſtquam paululum reſpirare datur, & liberiore aere fruiſci, ablego ad te primum hunc Botanices meæ Apparatum; partim ut habeas à me, quemadmodum dixi, teſſeram hoſpitalem amicitiæ nullo unquam tempore deſituræ; partim ut pulcherrima hac Naturæ contemplatione te oblectes; partim ut de his ſententiam tuam dicas, libereq́ arbitrere; & ſi qua tibi ſunt, vel ſilentio, vel ignoratione à me præterita,*

ea prothymè mecum communices. Novi enim ego, & mecum una novit non ſolum Regiomontum, ſed tota Boruſſia, quantum PANTZERI *vos, id eſt, tam pater tum* μακαρείτης, *quam tu ejus haut degener filius, laudem tum meriti tum conſequuti fueritis, non ſolum ob exquiſitam rerum Pharmaceuticarum ac Chemicarum cognitionem conjunctam cum multijuga experientia: ſed etiam ob indefeſſum & ſingulare ſtudium cultumq; Botanologiæ. Teſtes ſunt horti illi veſtri ſpacioſi, diligentiſſimè exculti, omni genere arborum, fruticum, herbarum, florum inſtructi, quorum fama etiam ad has oras penetravit.*

Tu ea, qua antehac me complexus es, propenſione & benevolo affectu, acceptabis hoc, quidquid eſt, munuſculi litterarii; & porrò omne obſequium, ab amico ſperandum, abs me exſpectabis, quod idem etiam de te mihi polliceor. Vale feliciter; & ſalve plurimum. D. 6. Roſtochii ineunte Aprili Anni cIↄ Iↄ c XXXII.

PRÆ-

PRÆLOQVIVM.

HACTENUS curioſum & ſolertem Horticultorem præceptis generalibus inſtruxi, quorum ductum ſi fuerit ſequutus, haud dubio poterit Viridario ſuo proficuè, & delectabiliter gaudere: *Lætis operatus in herbis.* Scilicet hic ſcopus atque hæc ſumma fuit librorum noſtrorum de HORTICULTURA, cælo ſoloque harum Regionum accommodata. Nunc porro exhibemus, & è penu Hortenſi noſtro ſpectandum proferimus, *ſpecialem quarundam plantarum Apparatum.* Quid enim juvat generalis confuſaque horti inſpectio, niſi ſingulas florum, herbarumque & fructuum elegantias cominus contempleris? Potiorem & cultiorem horti noſtri partem, cum areolis nitidioribus, vindicant ſibi *Stirpes Bulboſæ*, quæ in Floriferio utramq; paginam faciunt; ſuntq; in horti circuitu, quod in auro uniones. Iis affinitate copulatam addidimus *Tuberoſam progeniem*, quæ non minori emolumento mactat ventrem, quam flores amicabili ſpectaculo oblectant oculos. Hanc plantarum proſapiam è cæteris *primam* fecimus, ob multas cauſas: *partim* quia, cum omnes ſint floriferæ, majorem voluptatem objiciunt oculis, naribus, & animo: *partim* quia raritate & precio reliquas antecellunt: *partim* quia ſunt famæ & celebritatis majoris: *partim* quia agnitu ſunt facillimæ.

Scio equidem in ordinanda ſtirpium ſerie, unumquemque ſuo uti genio, & ſequi arbitrium proprii conceptus. Alius à graminibus Botanicam ſuam auſpicatur: alius ab Abſynthio. Hic ab Iride; ille aliunde. Quod quiq; fundamentum ſuo ſuppoſuerint ordini, non ego nunc curioſe aut prolixe anquiro. Ego ſi magnum aliquod, & memorabile hujusmodi opus, potens ac animatus eſſem moliri, & trãsmittere ad manus gratæ poſteritatis, non aliam ſectarer, quam hanc quę ſequitur, methodum, de cujus ratione cuilibet arbitrari, ac judicare liberum erit.

Stirpium ſumma ac præcipua genera ſunt *Herbæ, Frutices, Arbores*. Ab Herbis principium; tum quia magis obviæ & ante pedes: tum quia earum agnitio pulchrior; & varietas ac elegantia major.

HERBARVM Partes integrantes, quibus earum perfectio abſolvitur, & tota compages conſtituitur, ſunt, *Radices, Flores, Folia, Fructus, Succi*. Iuxta has, ipſo naturæ fundamento, & prima & commodiſſima fit plantarum diſpoſitio, & ordinata enumeratio. Ea enim, quæ interna ſunt & eſſentialia, anteponi merentur externis & accidentalibus.

Principio, ſi *RADICES* ſpectemus, in prima acie conſiſtere merẽtur Plantæ Bulboſæ, ob cauſas paulo ante indicatas.

FLORVM reſpectu, (horum certè magna eſt varietas) ita diſponi ſtirpes poſſunt, uti flores in iſtis à Natura diſpoſitos invenimus. In quibusdã flores caulem non ambiunt: ſuntque ferè plantæ coronariæ: in quibusdam juxta, aut circa caulem ſunt diſpoſiti: Aliæ ſunt Verticillatæ: Vmbelliferæ: Corymbiferæ: Capitatæ: Campaniformes: Pappifloræ.

FOLIO-

FOLIORUM Indole & Ideâ conſideratâ plantæ ſunt Rotundifoliæ: Alſinifoliæ: Linifoliæ: Nervifoliæ: Aſprifoliæ: Stellatæ : Solanifoliæ, Trifoliæ, Acutifoliæ, vel Carduus: Graminifoliæ.

FRUCTUUM ratione aliquæ ſunt leguminoſæ : aliquæ pomiferæ.

SUCCI deniq; reſpectu, quædam ſunt ſuccilentæ virides, quædam lacteæ: quædam flavæ. Ita ſe habet ſeries partium integrantium. Si *Accidentia* herbarum videamus, ſunt illa πολυδαίδαλα.

In primo ordine ambulare poteſt *Uſus*, quem culinæ præſtant, & alimoniæ. Huc pertinent *Frumenta* (quia contrariorum eadem diſciplina, etiam defectus, & morbi frugum eodem ſpectant,) & *Herbæ oleraceæ.*

Dehinc in *modo creſcendi* deprehenditur varietas. Nonnullæ ſunt ſcandentes, quæ adminiculis opus habent: aliæ ſponte ſua ſtant, nullo fulcimine nixæ.

Ratione *patriæ*, aut Soli Natalis, ſunt marinæ, fluviatiles, aquis innatantes, ſaxatiles.

Quantitate etiam ſeu *magnitudine* differunt. Aliæ ſunt Giganteæ, aliæ minuſculæ, & Nanæ. His ultimo auctarii loco addi poſſunt quædam herbarum *Abortus*, quales Fungi.

Talis eſt Herbarum ſeries & conſtitutio.

FRUTICES redigi poſſunt ad geminam claſſem; aliqui ſunt *ſpinoſi*, aliqui *ſpinis carentes.*

ARBORUM duplex eſt genus: Quædam ſemper ſunt *virentes:* Aliquæ *virorem* cum foliis hyeme *deponunt.* Quæ iterum vel *domeſticæ*, vel *ſylveſtres.*

Hoc

Hoc duodecim claſſium enumeratarum ambitu, continetur univerſa Stirpium & Botanologias hiſtoria.

Non diffiteor eſſe aliquas, quæ ad duas, forte etiam plures ex dictis aciebus ſe referri patientur. Eas tamen non fuerit opus repetita explicatione bis aut ter diſtinctis locis enumerare. Satis erit ſub unum eas cenſum reduxiſſe, ad quem privilegio potiori pertinere videbuntur.

Ita quidem ego diſpoſitam Botanicen adornarem, ſi labori tam improbo, ingenii mei poteſtas, par, aut ſecunda eſſet: Verum an illud unquam valitura ſit mea induſtria, ἀλλ᾽ ἤτοι μὲν τοῦτο θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Nunc ſaltem apparatum primum Bulborum & Tuberum ſiſto in publicum; in quorum hiſtoria pertexenda, ne temere & inordinato diſcurſu hinc inde vagaremur, conſilium fuit rem omnem his ſex capitibus incluſam dare, quæ ſunt:

I. *Nomen* & variç appellationes. Nam ex Platonis decreto, δεῖ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα.

II. *Differentia*, ut uno obtutu noſcatur omnis cujusque plantæ varietas. Intellige differentiam accidentalem.

III. *Species*. Enimvero ut Genus ſeu Totum non noſcitur perfectè, ignotis ſpeciebus ſingulis aut partibus: ita confuſa eſt plantæ cognitio, niſi ſeorſim ſingulas ſpecierum claſſes pernoſcas. Speciei vocem hic aliquanto minus propriè uſurpo, quam in Logicis fieri ſolet. Nam, exempli gratia, Crocus cçruleus, flavus, albus, variegatus, ſpecies diſtinctæ proprie non ſunt; ſed unius ſpeciei individua, coloribus, ceu accidentibus diſtincta. Tamen populari, & minus accurata dicendi licentia, ſpecies nominantur à Botanicis.

IV. *Vi-*

IV. *Vires & uſus*, ſeu commoda quę partim culinę ac conſervandæ ſanitati, partim medicinæ, & morborum depulſioni plantæ præbent.

V. *Cultura*, id eſt, modus ſerendi, plantandi, propagandi, cuſtodiendi, quamlibet ſtirpem; quod artificium noviſſe, vel maximè intereſt, non ſolum Hortulani elegantis, ſed & induſtrij Botanici.

VI. *Corollarii* loco philologica quędā adjiciam, ſcitu non injucūda, quæ nō patiuntur ſe aptè ad cętera capita reduci.

Porro in hac Bulboſorum & Tuberoſorum ſerie, reperiet Botanophilus peregrina quædā, quę ſuas quidem nomenclaturas gentilitias, ab Americanis ſecum attulerunt in noſtrum mundum; ſed nobis æquè barbaras ac ipſi ſunt Americani. Iis convenientiora nomina, nobis familiaria, intellectu faciliora indere conſultum viſum fuit; quod factum neq; inſolens eſt, hodie aut heri uſurpari cœptum, neq; levitatis ullius. Enimvero Romani ac Græci veteres, quibus acceptam ferimus linguarum, quas poſſidemus, propagationem, non uſurparunt auribus vel oculis omnia, quibus jam in uſu quotidiano fruimur. Multa illos fugerunt, quorum poſſeſſione hodiernum ſeculum gaudet. Inprimis ſicuti totus Novus Orbis illis inauditus & inviſus fuit, ſic & divitiæ plantariæ, quas is ſuo ambitu complectitur. Proinde cum plures ſint res, quā vocabula, neceſſitas imperat ὀνοματοποιεῖν & novas res novis nominib. donare. Si licitum fuit *Geſnero*, plātis, quę jam ab omni antiquitate, hereditaria quadā poſſeſſione, ſua ſibi obtinuerunt & defenderūt nomina, novos titulos affingere in gratiam amicorum, & aliquā ab

Occone dicere *Occoniam*: aliquam à *Cratone*, *Cratoniam*: cum tamen iſtæ antiquis appellationibus potuiſſent eſſe contentæ: Si *Dodonæo* non verſum eſt vitio, notiſſimas, & à priſcis Botanicis Græcis juxta ac Latinis, deſcriptas ſtirpes, novis, ijsque Barbaris vocabulis inſignire citra neceſſitatem, vocareq; phaſeolum Bohnen/ *Bonam*: Secale Roggen/ *Roggam*: βρύνην, Maltz/ *Maltum*: Cereviſiam Bier/ *Beram*, & id genus alios Germaniſmos invehere; non equidem puto me capitis damnatum iri, ſi plantas novas, antiquorum nemini cognitas, deſtitutas nominibus proprijs Græcis, Latiniſq;, has, inquam, quod conatus fuerim exornare convenientibus nomenclaturis: non ſane penitus è longinquó, à rebus quibuſcum iſtis nihil commercij; non emendicatis ab amicorum cognominibus, ſed vel à ſimilitudine, quā cum rebus nobis cognitis obtinere viſæ ſunt; vel à facultatibus, aut uſibus, quibus humano generi ſunt proficuæ.

Ita vocavimus *Archithyrſum*, *Gavianam*, *Cymbalum*. Ita *Adenes Canadenſes*, *Adenes Virginianos*; *Halicacabum glandiferum*. Ita *Glandes* terræ *noſtrates*, *Glandes Malacenſes*, *Gramen* πυρηνόφορον, &c. quarum appellationum rationes ſuis locis redditæ inveniuntur.

De *Bulbo Eriophoro*; id eſt, Lanigero, ſeu Bōbycino Græcis Botanicis celebrato: Tum vero & de flore *Bulboſæ Tigridis*, nemo hic quidquam à nobis exſpectabit. Nihil enim propemodum præter inane nomen, memoriæ ac cognitioni noſtræ de ijs relictum eſt. *Eriophorus Occidentalis* ſpecies quædam eſt Hyacinthi Peruviani. De *Eriophoro Orientali*, qui Cōſtantinopoli alicubi reperiri creditur, vix uni millib. è multis vi-

tis viſo, nondum convenit inter ſcriptores Botanicos, qua figura quidem aut facie ſit præditus; hoc aliam, illo item aliam Effigiem pingente: inter quas tanta ſæpè ſimilitudo, quāta inter ęra & lupinos, nedum cognitum perſpectumq; ſit, quibus viribus polleat; qua cultus ratione ſeu educāndus, ſeu conſervandus? *Flos Tigridis*, etiam multo eſt inſolentior. De utroque cum præter umbram obſcurę & incertæ famæ nihil poſſideamus, malui quidquid hujus eſt, ſilentio transmittere, quam narratiunculis vanis, nihilque ſolidi crepantibus, operam meam ac Lectoris occupare.

CATALOGUS CAPITUM

LIBRI I. DE PLANTIS BULBOSIS.

CAP.I. *De Bulbis in genere.*
CAP.II. *Allium.*
CAP.III. *Cæpa.*
CAP.IV. *Colchicum.*
CAP.V. *Corona Imperialis, ſeu Archityrſus.*
CAP.VI. *Crocus.*
CAP.VII. *Dens canis.*
CAP.VIII. *Gaviana ſeu Fritillaria.*
CAP.IX. *Gladiolus.*
CAP.X. *Hermodactylus.*
CAP.XI. *Hyacinthus.*
CAP.XII. *Iris.*
CAP.XIII. *Leucoion Bulboſum.*
CAP.XIV. *Lilium candidum.*
CAP.XV. *Lilium cruentum.*
CAP.XVI. *Lilium intortum, ſeu Cymbalum.*
CAP.XVII. *Moly.*
CAP.XVIII. *Narciſſus.*
CAP.XIX. *Orchis ſeu Satyrion.*
CAP.XX. *Ornithogalum.*
CAP.XXI. *Orobanche.*
CAP.XXII. *Porrum.*
CAP.XXIII. *Scilla.*
CAP.XXIV. *Tulipa.*

LIBRI II. DE PLANTIS TUBEROSIS.

CAP.I. *De Tuberibus in genere.*
CAP.II. *Tubera κατ᾽ ἐξοχὴν, & ſpecialiter dicta.*
CAP.III. *Adenes Canadenſes, ſeu Flos ſolis glanduloſus.*
CAP.IV. *Adenes Virginiani, ſeu Halicacabus glandifer.*
CAP.V. *Ariſarum.*
CAP.VI. *Arum.*
CAP.VII. *Aſphodelus.*
CAP.VIII. *Aſphodelus liliaceus.*
CAP.IX. *Bulbocaſtanum.*
CAP.X. *Cyclamen.*
CAP.XI. *Glans terreſtris, noſtras leguminoſa.*
CAP.XII. *Glans terreſtris maluenſis.*
CAP.XIII. *Gramen Amygdaloſum.*
CAP.XIV. *Radix Cava.*

PETRI

PETRI LAUREMBERGII
ROSTOCHIENSIS

APPARATUS PLANTARIUS PRIMUS:

DE STIRPIBUS BULBOSIS ET TUBEROSIS.

Liber I.

DE BULBOSIS.

CAPUT I.

DE BULBIS IN GENERE.



I. NOMEN.

BULBI, βολβοὶ, vox πολύσημος eſt attributa diverſis rerum generibus.

1. *P. Ægineta* βολβὸν ὀφθαλμοῦ indigetavit πτερύγιον, ſeu unguem oculi.

2. Antiqui, *in calami radicibus* βολβοὺς καλάμου vocabant eam partem, unde quotannis ſoboles nova enaſcitur, quem Hortulani *oculum* appellare ſolent. Teſtis eſt *Marcell. in Dioſc.* Teſtis etiam *Plin. l. 17. c. 20.* qui de Arundine ſic ſcripſit: *Seritur Bulbo radicis, quem alij oculum appellant.*

3. Generali acceptione Bulbus dicitur cujuſq; plantæ *radix orbiculata.*

4. Bulbus *proprie* Radix eſt rotunda, membranis ſuis tunicata, pluribusq; interdum capitulis coagmentata, uno folliculo omnes ambiente: interdum capitulis diſcriminatis ſeparata: diſtinguiturq; ita à tuberibus, aliisq; omnibus radicibus orbiculatis. Gallis *Eſchallotte*: Germ. Zwibelgewächs. *Ariſtophanis Scholiaſtes* βολβὸν *interpretatus eſt*, ὄγκον γαίας, *tuber terræ. Euſtachius*, dum eam vocẽ vertit & explicat per ἄγριον κρόμμυον, videtur minus propriè loquutus. Κρόμμυον enim nil aliud, quam cepa. At bulbus à cepa tantum differt, quantum genus à ſpecie: niſi forte ſub ſpeciei nomine, totum genus comprehendiſſe dicatur *Euſtathius*, quo loquendi modo Germani bulboſa omnia generatim vocant Zwibelgewächs. Sed qua fine additum ſit ἄγριον, non dijudico. Neq; enim bulbus omnis agreſtis eſt. Quin potius antiquitas hanc ſtirpem diligentiſſime excolebat in hortis, eratque illis in quotidiano uſu.

II. III. DIFFERENTIA: ET SPECIES.

BULBORUM variæ ſunt ſpecies: Alius *venenoſus*, ut colchicũ: alius *vomitorius*, de quo *Dioſc. l. 2. c. 160.* qui qualis verè ſit, hodie ignoratur; inſciteq; modo Hyacinthum, modo Narciſſum huc trahere conati ſunt Botanici. Alius *edulis* πᾶσιν μὲν γνώριμος, *Dioſcoridis* ætate; quam ob cauſam ne quidem ejus Ideam delineare anniſus eſt. Nunc vero (ſi rectè cenſuerunt *Marcell. Matth. Lobell.*) nemini cognitus. Poſſet ejus loco nobis eſſe *Ornithogalum arvenſe*, nonnullaque pars Bulborum, inpoſterùm enarrandorum.

Eſculentorum bulborum, antiquis uſurpatorum, genera plurima recenſet *Theophr.* quos inter nonnullos adeo dulces naſci ait, ut ſine omni alio condimento edi queant. Inter cæteros commendatiſſimi erant *Megarenſes*, è Megaride, Attici agri particula, quos potiſſimum ſerendos *Cato* præcipit. Fortè ipſi ſunt quos *Athen. l. 2. δειπν. Regios* vocat, aliisque cunctis antefert. *Ægineta* commendavit ἐρυθροὺς καὶ μικροὺς.

IV. VIRES ET USUS.

BULBI hi eſculenti omnes in precio erant veteribus, & inter fercula magnæ æſtimationis; partim ob ſaporem delectabilem, partim quoniam irritamentum ſuggerebant exercitiis venereis. *Columella:*

quæque viros acuunt, armantq; puellas,
Iam Megaris veniant genitalia ſemina Bulbi.

Ovidius hanc ob cauſam hortatur Amatores, ut abſtineant ab Eſu Bulborum, ſiquidem amoris ſtimulos à ſeſe avertere cupiant.

Dau-

Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.

Martialis cavillum ſcripſit in eum, qui ſenio confectus, membroq; ſuo funeratus, auxilium Venereum à bulbis fruſtra emendicabat.

Cum ſit anus Conjunx, cum ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes.

Reſpexit haut dubio ad veterem *Senarium*:

Οὐδὲν σ᾽ ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ᾽ ἔχῃς.

Ubi malo legere νεῦρα, (quę vox nervum & partem Virilē ſignificat,) quam ἄλευρα, id eſt, farinam, ut legit *Marcell in Dioſc.* addēs cōdiri ſolitos bulbos farina ſeſami, caſeo, melle, aceto: quæ explicatio tollit omnem gratiam verſiculi, & nimium abludit à ſentētia poetæ. Huc facit dicteriū Comicorū Grēcorū, in pullos Venereos, nimio prolubio ꝑcitos, βολβῶν χύτραν καταφαγόντες, qui integras bulborū ſtruices & patinas abſumūt.

Promovere nati ſunt Bulbi opus ſeminationis *duplici* ratione;

1. Quia πολύτροφοι ſunt, facilè coquuntur; ventriculum roborant; appetitū excitant; nutriunt affatim; & ſanguinē gignunt laudabilem, ac ex conſequenti ſemen copioſum: ſicq; fiūt πρὸς συνουσίαν παρορμῶντες, ut loquitur *Dioſc.* ſed oportet eos cum garo, pipere, oleo coctos paratosq; eſſe, ut deponant aliquid de vi flatulenta, qua alias ſunt perfuſi.

2. Quia ſunt ἐμπνευματοῦντες, flatus excitāt, quorum præſentia neceſſaria eſt ad opera Aphrodiſia. Tentigine enim, & diſtēſione oportet affici partes deſtinatas ἔργῳ φυσικωτάτῳ. Id verò fit à flatib. quamvis fortè flatum non tam rectè nomines quam Spiritum. Nam *Hipp.* etiam φῦσαν vocat πνεῦμα. Poſtquam *Cardanus* dixiſſet, *duo eſſe ad Venerem neceſſaria, Flatum ac ſemen*; (utrumq; excitant & augent Bulbi) reponit *Scalig.* ad Venerē ſemen non requiri neceſſario, ſed ad generationem eorum, quæ ex ſemine propagantur. Flatum v. omnino cum calore. Ab utroq; hoc urgeri penem in pueris, in Eunuchis, quamvis ſine ſemine. Simili conſilio oſtreis, conchis, Cynara, tuberib. Canadenſ. aliisque flatulentis veſci ſolēt illi, quorum ſtudiū eſt in hoc voluptabili exercitiorū genere.

V. CULTURA.

BULBORUM Catholica cura eſt, ut circa Jacobi Feſtum eximātur è tellure: reponantur loco extra ſolem & pulverem, in aëre libero: ſicq; relinquantur per menſem, aut præter propter. Tum iterum reddantur terræ. Exemptis abſcindendæ ſunt fibræ inferius bulbo adhęrentes. Non tamen opus eſt quotannis effodi. Relinqui poſſunt triennium & ultra. Sed qui volet eorum ſibi copiam parare, is annuatim eximat è terra, & adnatos parvos bulbos pangat ſeorſim, qui brevi adoleſcent in peculiares plantas.

Amant terram levem, ſubactam, non nimis ſtercoratam.

Cætera quæ ad Bulborum propagationem & cultum attinent, expoſuimus ſigillatim ſub ſingulis ſpeciebus.

VI. COROLLARIUM.

PROVERBIUM illud antiquum βολβοὺς ζητεῖ dictum videtur in eos, qui juxta *Perſium*,


Obſtipo capite defigunt lumina terræ,

& meditabundi incedunt, enixo obtutu contuentes terrā, tanquam bulbos effoſſuri.

CAP.

CAPUT II.

ALLIUM.



I. NOMEN.

ALLIVM quaſi *Olidum*, quod graviter olendo quaſi fœteat: vel ab *halitu* quem exſpirat: Grammaticuli deducunt, ab ἅλλεσθαι, quod exſiliendo creſcat, neſcio quo fundamento. Nec enim magis ſaliendo germinat, quam cæteri telluris fœtus.

Græc. σκόροδον, id eſt, explicante *Ariſtophanis enarratore*, σκαιὸν ῥόδον, ruſtica & importuna Roſa, offendens odore ſuo olfacientium nares. Vel potius quaſi σκῶρ ὄζῶδες. *Hippocrati l. 1. & 2.* περὶ γυν. & *Galen.* in ἐξηγ. Μωλύζα, μῶλυξ, μῶλυ, ἐςὶ σκόροδον, ἁπλὴν κεφαλὴν ἔχον, καὶ μὴ διαλυόμενον εἰς ἄγλιθας: allium cui caput eſt ſimplex, neque diviſum in nucleos. Integrum allij caput δαιτὶς dicitur, quod dividitur in ſegmenta, qui nuclei ἀγλίδες, ἀγλίδια, σκελλίδες, γελγίδες, γέλγεις.

Germ. Knoblauch/Knuffloch: Ein Häupt Knufflochs: Knufflochszähne ſunt nuclei: Abslag/Aſtlauch: Loock. *Gall.* Ail; où Aulx.

Hæc eſt famoſa illa *Iberiaca Ruſticorum.*

II. DIFFERENTIÆ.

ALlij differentiæ petuntur

I. *A loco*: Aliud domeſticum ſeu ſativum; aliud ſylveſtre, aut Campeſtre, aut Vitigineum.

II. *A Tempore*: Eſt Æſtivum, Hybernum.

III. *A Figura*: σφαιροκέφαλες: bicorne, allioporrum.

IV. *A Solo natali*: Punicum, noſtrate.

III. SPECIES.

I. A*Llium ſativum: nucleatum: vulgare: hortenſe: multifidum:* gemeiner Knuffloch.

II. *Idem non multifidum*, ἀμφίκαρπον, loco ſeminis multos bulbulos ferens, ſupernè & infernè bulbiferum: *maſculum: Ægyptiacum.*

III. *Allium porrinum: Allioporrum: Porrum Turcicum*; folijs latiorib. σκοροδόπρασον.

IV. *Idem* σκοροδόπρασον *anguſtifolium*, σφαιροκέφαλον.

V. *Allium ſylveſtre: latifolium: Vrſinum*; ἀρκτοσκόροδον.

VI. *Allium campeſtre: tenuifolium: Caninum.*

VII. *Idem bicorne*, flore obſoleto.

VIII. *Allium hybernum.*

IX. *Allium vinearum: porrum vitigineum*: ἀμπελόπρασον: Tota natura ſylveſtre, neutiquam edule: Reben Knofflauch.

X. *Allium Vlpicum: Punicum: Creticum: Colubrinum: Serpentinum*: ἐλαφοσκόροδον: Ophioſκόροδον; welſche/ oder Slangen Knofflauch. quam vere ita appelletur, dicam in Corollario.

V. VIRES ET USUS.

ALLIUM tam in re familiari, quam Medica crebræ eſt uſurpationis.

IN RE FAMILIARI. Inter ciborum condimenta duriorum, eo veſci ſoliti ſunt, non Judæi ſolum, tam olim *Numer.* 11.*c.*5. quam hodie: Sed & Chriſtiani paſſim in Gallijs, Belgio, Germania noſtra, præcipuè feſto Panthaleonis, in quo qui non deguſtat allij caput, cum perna ſuilla, fumo indurata, (hic non loquor de Judæis) non creditur rem ſuam bene ſtabiliviſſe, neu corpori ſalubriter proſpexiſſe. Interim nihil laudabilis nutrimenti inde conſequuntur. Neq; enim quidquam alimenti in ſe continet, ſed ob ſummum calorem ſanguinem generat aduſtum, acrem: quamvis ſi vel elixetur, vel alias decoquatur, de hac ſua nequitia aliquantum remittat. Quam hæ ſint gratæ epulæ Ruſticorum & meſſorum, diſcitur *ex Virgil. Ecl.* 2.

Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpillumq; herbas contundit olenteis.

Triplicem eſſe cauſam reor, cur *Meſſoribus* comedendum dari ſoleat *allium.*

1. Ut defatigatorum vires reſtauret, eoſq; ad laborem faciat alacriores. Eo conſilio *Attici* quondam, quoties vel navigationem, vel expeditionem adornabant, commercabantur allia, eaq; retibus impoſita ſecum ferebant. Item in obſidionibus urbium in precio erat allium; unde proverbium apud *Suidam:* Ἀπόλλυμαι τὰ σκόροδα περιτέμνων &c. *perdo allia in obſidione.*

2. Ut ejus beneficio à venenis maneant tuti. His enim validè allium reſiſtit, inſtar Theriacæ, quo merito etiam dici ſolet Theriaca Ruſticorum. Venenis autem, & maxime ſerpentibus, infeſtari ſolent meſſores feſſi, dormientes in umbra. *Volaterranus* memorat, ſuo tempore inventum Ruſticum, qui cum ſerpentem per hiantes fauces in agro dormiens ignoranter admiſiſſet, ſeſe ſtatim commanducatis allijs, ceu præſenti amuleto, curarit: Virus tamen ac mortem uxori inſtillarit in coitu.

3. Per æſtum multo aquæ potu ſe replent meſſores. Allium autem vicium aquæ corrigit, prohibetq; ne ipſa corrupta corpori inferat noxas. Obtinet quippe vim abſumendi humores, à nimia aqua in corpus infuſos: qua de cauſa, non meſſores ſolum, ſed & omnes illi commendatum ſibi habent allium, quos neceſſitas cogit aquas minus puras, & minus ſalubres pro potu haurire, quales ſunt Tabellarij, nautæ &c.

Verum robuſtis & quadratis hominibus quibus dura ſunt Ilia, durus hic cibus bene & ſalubriter eveniat. Habent enim ſimiles labra lactucas. At tenuioris, itemq; bilioſæ conſtitutionis hominibus non æquè prodeſt. His vehementer adurit interanea, & æſtu noxio corpora torquet, exſiccante & exurente ſua vi, ut neq; Medeæ venena Jaſonem, neq; Dejaneiræ tunica Herculis humores, neque ſolis fervor ſiticuloſam Apuliam æquè uſtularint unquam, quam allium ipſa inteſtina, *Horat. Epod.* 3.

Quid hoc veneni ſævit in præcordiis?
Num viperinus hic cruor
Incoctus herbis me feſellit? &c.

Nec

Nec tantus unquam Syderum inſedit vapor
Siticuloſæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius,

Proinde *Horatius* ei, qui patrem ſenem ſtrangulaverit, non cicutam, aut aliud uſitatum venenum, ſed allium, quovis veneno pernicioſius, edendum exhibet.

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius,
O dura meſſorum Ilia!

Abſtineant proinde, ac cane pejus & angue fugiant allium, 1. Omnes macilenti, ſicci, calidi, bilioſi. 2. Illi, qui cum Arthritide conflictantur, quibus magis magiſque allium concitat humores, exurit; acreſq; ac mordaces reddit. 3. Gravidę, quę ab allio promptè abortiunt. Pellit enim magno impetu menſtrua, ſecundinas, & quidquid utero cōtinetur. 4. Gallinæ (pertinet enim & hoc ad uſum rei familiaris:) aliaq; altilia, deſtinata cacabo, jamjam mactanda, ab allij eſu ſerio ſunt avertenda & prohibenda: alioquin eorum caro undiquaq; imbuta deprchendetur ſapore & odore allij: Quin & ova retinent eaſdem qualitates alliatas, genita à Gallinis, quibus cum eſca allium objectū fuit. Antiqui ex allio, & olivis invicem contuſis, edulij, ſeu potius condimenti genus parabant, Latinis *Moretum*, vel *Alliatum*, Græcis Μυττωτὸν dictum. *Theophraſt. l. 9. hiſt.* Σκόροδον κύπελον καλȣ̃μψεν ȣ̓χ ἕψȣσιν, ἀλλὰ πρὸς τȣ̀ς μυττωτȣ̀ς χρῶνται. quanquam id *Hipp. l. 2. Epid.* non edulijs, ſed medicamentis accenſuerit, ἢν δὲ, inquiens, ἐμέῃ ἢ μὴ πίνῃ, μυττωτὸν δριμὺ δȣ̃ναι πιεῖν. Hinc corruptam eſſe lectionem apud eundem *Hipp. lib. de loc. in hom.* ubi legitur, μυσιωτὸν, non ἀλόγως ego conjector; putoque legendum μυσσωτὸν, vel μυττωτὸν, atque inde verbum μυττωτεύειν, acre reddere, tanquam allium, quod uſurpavit *Ariſtophanes in Veſpis*:

Αὖτις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Ejus *Myttoti* uſus Medicis erat in movenda urina, in aperiendis venarum oſculis, in medicanda aqua intercute. Romanis vero *Moretum* erat in uſu eo, quo noſtri Ruſtici ſua habent edulia adjectitia. Nemo elegantius, & admirabilius deſcripſit Moreti compoſitionem, admirando *Virgilio*; ex cujus eruditiſſimo *Poemate*, ſub titulo cognomine, non poſſum quin huc accerſam ſequentia.

Tum quoq; tale aliquid meditans, intraverat hortum, (nimirum *Similus*, exigui qui cultor ruſticus horti erat.)

Ac primum leviter digitis tellure refoſſa,
Quattuor educit cum ſpiſſis allia fibris;
Inde comas Apij graciles, rutamque virentem,
Vellit, & exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum conſedit ad ignem,
Et clara famulam poſcit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroſo cortice nudat.

 Et ſum-

Et ſummis ſpoliat coriis, contemptaq; paſſim
Spargit humi, atque abicit: Servatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum dimittit in orbem.
Hinc ſalis inſpergit micas: Sale durus adeſo
Caſeus adicitur: dictas ſuperingerit herbas.
Et leva veſtem ſetoſa ſub inguina fulcit:
Dextera piſtillo primum fragrantia mollit
Allia, tum pariter miſto terit omnia ſucco.
It manus in gyrum paulatim ſingula vires
Deperdunt proprias: color eſt è pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea fruſta repugnant.
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpè viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, & ſimo damnat ſua prandia vultu.
Sæpè manu ſumma lacrymantia lumina tergit,
Immeritoq; furens dicit convitia fumo.
Procedebat opus: jam non ſalebroſus ut ante,
Sed gravior lentos ibat piſtillus in orbes.
Ergo Palladij guttas inſtillat olivi,
Exiguique ſuper vires infundit aceti.
Atque iterum commiſcet opus, miſtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum diſtantia contrahit unum,
Conſtet ut effecti ſpecies nomenque MORETI.

Nervus totius compoſitionis eſt:

Rec. *Capit. allij à Corticib. mundat. &*
aqua ablut. N. iij.
Caſei veteris ℥ij.
Herb. recent. Apij
Rutæ
Coriandri ſing. M. ß.
Salis ℈j.

Contund. in mortario ſ. a. & ſub finem affund. olei oliu. & acet. q. ſ. ut fiat Rob. ſeu Moretum.

Habent & Turcæ in uſu Moretum aliquod, quod *Iuguith* vocant, compoſitum ex lacte coagulato, acri, cui fruſtillatim intrita ſunt allij capita, magnæ apud illos ęſtimationis & deliciarum. Cæterum de Romanorum Moreto, ſeu Alliato audiendum eſſe dictum ſervi apud *Plautum Moſtellar. Sine me alliato fungi fortunas meas,* interpretes tradere ſolent; pro alliato, cibum ex allio factum, explicantes. Paulo enim ante exprobratum erat eidem ſervo, quod oboluiſſet allium. Sed rectius quis exiſtimarit, hoc loco alliatum non eſſe nomen ſubſtantivum, aut cibum ex allio paratum; ſed adjectivum; ut ſit Alliatus, qui allia redolet, ſicut unguentatus, qui unguenta, eidem Plauto:

Malo

Malo te alliatum eſſe quam unguentatum. Senſus eſt: ſine ac permitte me, quem allium olere & fœtere ais, meis fungi & frui fortunis. Et ſic rectius legitur *Alliatum,* quam *alliato.*

De Allij præterea uſu familiari, tradunt nonnulli, ſi quis à novellis frugibus amoliri geſtiat volucres, eum oportere ſuſpendere à ramulis, hic illic, alliorum aliquot capita.

Item: Allium fruſtillatim diſciſſum, immiſſumque in Talparum cuniculos, eos abigere fœtore ſuo, & hortum liberare ab impudente hoſpite.

IN USU MEDICO. Allium per naturam calefacit admodum, & exſiccat: Acre eſt, digerit, expellit, mordet, provocat: eapropter frigidis & pituitoſis conveniens eſt.

Adhibetur tam *foris,* quam *intus.*

Exterius. Mizaldus Hort. Med. magna laude proſequitur hoc experimentum. *Allia trita cum porci axungia ſubacta in formam unguenti, ſummum* (inquit) *exhibent præſidium, adverſus tuſſim, ex frigore contractam, quoties plantæ pedum eo unguento ante focum inunctæ fuerint, & in lecto ſpina dorſi. In prandio & cœna utendum eſt pectorali decocto. Profuit idem unguentum contra febriles horrores, applicatum carpo manus.*

Solum allium contuſum, cuti affrictum, & alligatum, acredine ſua & calore *puſtulas* excitat, & cutim potenter exulcerat; Imo etiam integrum non comminutum. *Coſt. Com. in Meſ.* narrat ſe vidiſſe mulierculæ cujusdam ſuaſu, contra quartanam, ſecundo annularis cujuſq; digiti internodio, allij crudi integram ſpicam, vinculo noctu alligatam, acerrimo dolore excitaſſe veſicam, qua non ſolum cuticula, ſed craſſior quoque cutis abſiſteret à ſubjectis partibus. Qui igitur foris allio uſurus eſt, ſemper miſceat quæ vim illius refringunt.

Allij ſuccus melle aut butyro majali temperatus, medetur *malignæ ſcabiei capitis,* & *alopeciæ,* & *ſugillationibus* ab ictu, & *ſquammis* ac porrigini manuum: Cum nitro, ſale, & aceto, *Phthiriaſi.* Cum adipe ſuillo inunctum, allium emollit, & diſcutit *duros ac contumaces tumores*: cum ſulphure, liberat *ulcera maligna,* & *fiſtulas* à pravis ſuperfluitatibus.

Unguentum ex allio & butyro majali, applicatum ſcrobiculo cordis; aut ex allio & felle bubulo, inunctum umbilico, expellit *puerorum lumbricos,* alioſque vermes latos. Contuſi bulbi temporibus applicati, *Cephalæam* tollunt, addito linimento convenienti.

In *odontalgia* apprimè commendatur Allium. Bulbis contuſis, & aceto incoctis, aut maceratis, ſi eo aceto os colluatur, aut foris maxilla dolens foveatur, dolor ceſſat protinus. Aut bulbus torretur ſub calidis cineribus. Contritus redigitur in formam Cataplaſmatis, & quam commodiſſimè fieri poteſt, denti laboranti applicatur: ſimulque de eodem Cataplaſmate aliquantum anſerino adipi permiſtum, auris cavitati imponitur, eo latere ubi dolor.

Hoc remedium adverſus dolorem dentium petitum ab allio, vocat mihi in mentem ridiculum facinus, quod aliquando legi apud *Sieur d' Accords, litr.* I. *des Eſcraing.* II. Vir aliquis torquebatur gravi dentium dolore. Ei alius quiſpiam ſpem facit, fore, ut ſi ſuum ſequeretur conſilium, intra horæ quadrantem non amplius querularetur de

 den-

dentibus. Annuit iſte. Hic jubet ſibi afferri bulbos allij: quos adjecto ſalis pugillo contritos in mortario, redigit in formam cataplaſmatis, atq; eam medicinam jubet ægrotum ſumere, & fortiter affricare culo ſuo. Æger mandato obſequens, rem peragit; & dictum factum adeo ſibi aduri, morſuq; acerrimo vellicari ſentit poſticas partes, ut jam dentium prorſus oblitus, ſumma voce nil aliud clamans ingeminarit, præter culum, culum. Tum medicaſter ille, Nonne dixeram, inquit, me effecturum, ut brevi non amplius queraris de dentibus?

Interius. Intra corpus admiſſum allium, prodeſt *phlegmaticis*, & præcipue aniculis, quæ crudorum & ſcorbuticorum humorum proventu luxuriant. Experientia enim compertum habeo, *ſcorbutum* in hominibus ætatis provectioris, nulla commodiori ratione edomari poſſe, quam eſu allij. Calefacit enim corpus, humores incidit, obſtructiones aperit. Ex eodem fundamento utile eſt *Hydropicis*, dum Ventriculum & interanea liberat à ſuperfluitatibus ichoreſque abſumit.

Adverſus *animalium venenatorum morſus*, itemque adverſus *peſtem* allium feliciter uſurpatur.

Aqua decoctorum alliorum ad Clyſteres aſſumpta, *colicam* pellit, ortam à frigore & flatibus.

Prodeſt etiam allium ijs, qui *urinæ difficultate* torquentur.

Expellit *ſecundinas, menſtruaque* mulierum.

Reperiuntur nonunquam, quibus continuo è cute erumpunt *pediculi*, geniti à putridis humoribus, per habitum corporis diſperſis: ij ſalubriter utentur in potu aquâ, qua allium & orega decocta ſunt. Nobile eſt medicamentum adverſus *calculum*, ſi allij capita aliquot lacti incoquas, & id lac ægro bibendum propines; poſt, duas aut tres doſes ſemen *lithoſpermi* in ſimili lacte exhibeas.

Apud noſtrates matresfamilias nihil eſt vulgatius, in pellendis puerorum *Lumbricis*, & Epilepſia à Vermibus Ventris nata, quam lacti incoquere ſpicas allij, & illud jejunis infantibus propinare. Peculiari enim Vi, allium vermibus inimicum eſt. Eos enecat, & de corpore deturbat. Si qui inventi ſunt, à crebro allij eſu vermibus ſcatuiſſe, non id allio, ſed alijs cauſis attribuendum.

Crantzius l.3.Hiſt.c. 3.refert, Arnolfum Romanor. Imper. ex jugi allij uſurpatione, in Verminationem incidiſſe, corporeq; illius poſt obitum diſſecto, plurimos Vermes inventos fuiſſe. *VVierus* etiam *l.3.c.15.præſtig. Dæm.* ſcribit in Ungaria, (ubi allij uſus familiariſſimus eſt,) reperiri homines, in quorum corporibus lutræ & lacerti naſcuntur. Videntur mihi *Crantzius*, & *VVierus*, decepti fallacia non cauſæ ut Cauſæ; atque aſcripſiſſe eum effectum allio, qui aliundè traxit Originem. Nimis certè notum eſt, ab allio aſſumpto ſerpentes & lacertos foras evocari; & fugari ex corpore. Et qui infantum hauſere lac alliatum, eos ſi quibus ſcatent lumbricis, omnes egerere ſine incommodo. Inter allij effectus & commoda recenſui, quod flatus pellat, dixique obinde proficue adhiberi in colicâ. Super hac re video controverſiam quandam concitatam inter Botanicos. *Dioſc.l.2.c.141.* ſcripſerat allio ineſſe δύναμιν ἐμπνευματώσεως ἀλλοιωτικήν. Id vertit *Marcellus* & pleriq; *Interpp. Vim inflationes gignendi*: Hęc interpretatio, non conſpirat cum

Verbis

Verbis *Dioſcor.* ejusdem capitis, dum addit, habere vim δρομεῖαν, θερμαντικὴν, ἐκκριτικὴν φυσῶν. Quod flatus pellit & reſolvit, id certè eosdem non facit aut generat. Auctor quidem *l.4 Acut.t.9.*& fortè ex eo *Plinius l.20.c.6.* indicavit, *Allium gignere flatus.* Sed *Galenus* eum librum *Hippoc.* eſſe negat; additq; ſi alimentum quodq; judicandum eſt ex eo quod facit, haudquaquam cenſeri poſſe allium flatuoſum, quin potius efficax eſſe ad abigendos dolores colicos, juxta *l. 12.in m. c.ult.*

Poſſent tamen & *Hipp.& Plin.* excuſari, ſi dicamus; vel 1. Allium flatus producere, dum eos ex corpore pellit, veluti dicimur urinam facere, cum eam ejicimus. Vel 2. per accidens interdum gigni ab allio flatus, cum in corpus ingeritur crudo phlegmate repletum, illudque phlegma attenuat, reſolvit, & parte aliqua convertit in flatus, quos poſtmodum iterum per ſe, & natura ſua diſſipat. Eſt & alia controverſia, *ſitne allium* ἄδιψον an δίψης ποιητικὸν? *Excitetne an ſedet ſitim?* Poſterius affirmat *Dioſc.* Prius plerique Botanici. Conciliari poteſt jurgium: Allium ἄδιψον eſt in ijs, qui ſitiunt ob ſuſpenſos flatus, quos cum allium pellit, ceſſat ſitis. Δίψης ποιητικὸν, eſt in bilioſis corporibus. *Illi*, qui ex ſignaturis, externiſque plantarum notis, intimam earum indolem venantur, ita ſolent de virtutibus allij philoſophari.

Allij *ſemen nigrum eſt. Oculos* nigredine & tenebris obfuſcat, ὀμμάτων ἀμβλυωτικὸν, ut ait *Dioſcor.* Hoc intelligendum eſt de oculis ſanis, quos ſuis halitibus allium impetit. Aſt qui ob vitioſam humiditatem hebetes ſunt, ab ijs id vitij allium abigit.

Tunica allij rubicunda; Sanguinem expurgat. *Cavo* eſt *caule*; Prodeſt *Tracheæ* affectibus: ἀρτηρίαν λαμπρύνει: βῆχας χρονίας παρηγορεῖ. Eadem cavitate indice urinam cit & flatus.

Bulbus luxuriat numeroſa *ſobole*; Auget fœcunditatem.

Squammoſis eſt *ſpicis*; *ſerpentum* ſquammoſorum ictibus medetur.

Corticem abjicit. Cutis emendationi ſervit. *Maculoſum* eſt: Prodeſt ad *maculas* & tumores. Viget *æſtate*. Utile eſt *canis rabidi* morſibus. *Caule & Capite* penem refert; Ad *coitum* uſurpatur commodè & utiliter.

V. CULTURA.

ALlium amat ſolum ſiccum, non pingue, non humidum, non durum aut compactum.

Propagatio Bulboſarum ſtirpium obitur & procuratur, vel per *ſemen* vel per bulbulos. Semen an allium ferat, multi dubitant; plures negant: quamvis *Dioſc.* id haut obſcurè innuat. His certè locis commune noſtrum allium prorſus ἄσπερμον eſt. Illud verò quod nos ſecundum fecimus, ἀμφίκαρπον, loco ſeminis bulbulos educat, qui redditi terræ, ſuccreſcunt in plantam; Reperiuntur vero inter Hortulanos, qui affirmant, ſemen allij, non tranſplantati, quinta aut ſexta vice ſeminatum, proferre plantam venenatiſſimam. A ſemine itaque non eſt, quod quis ſperet allij multiplicationem. Commodiſſimè plantantur, & ſeſe propagant nuclei, aut bulbuli allij. Amat, inquam, plantari non caput integrum, ſed ſpicæ, aut ſegmenta capiti adhærentia, idque autumni exitu multò felicius, quam veris initio. Curaturâ redduntur grandiores bulbi. Si viridem

idem comam præcideris, aut inflexam ſtraveris hmi. Ita vis omnis tranſit in bulbos.

Capita è terra deprompta, diu ſervantur inſtrata ſtramini, non contecta. Vel in camino ſuſpenſa, & expoſita fumis. Vel parum madefacta aquâ ſalsâ. Optimum fuerit poſtquam bulbi plenè maturuerint, & ſolis radijs aliquantulum expoſiti, eos aſſervare, loco ſicco, umbroſo. Verum quæ ſic cuſtodiuntur, eſui quidem, at non transplantationi amplius ſunt idonea.

VI. COROLLARIUM.

INter Allij ſpecies ultimum fecimus Ulpicum. De eo legitur apud *Plautum Pœnulo; Plenior allij Vlpici quam Romani remiges.* Horum enim victus quotidianus erat allium. *Columella* ſic habet: *Vlpicum quod quidam Punicum vocant, Græcis* Ἀφροσκόροδον, *longè majoris incrementi quàm commune allium.* Hinc colligo, corruptè fortè appellatum eſſe hoc allij genus, Ὀφιοσκόροδον, *columbrinum, ſerpentinum, Moly anguinum,* Schlangenknupffſauch/, cum potius dicendum foret, Ἀφροσκόροδον; ſeu ab *Afris* populis, (Nam & *Punicum* & *Vlpicum*, & *Creticum*, ſunt nomina natalitia:) ſeu ab Ἀφρῶ, *ſpuma,* quaſi diceres allium *ſpumeum* aut *ſpumoſum.* Eam conjecturam probabilem reddit locus *Plinij in lib.* 19. *cap.* 5. qui talis: *Vlpicum inter pulmentaria ruris, grandius allio. Eo trito in oleo & aceto, mirum quantum increſcat ſpuma.* Hoc ipſum accepit & deſcripſit *Plinius* ex *Theophr.* ſic commentante: *lib.* 7. *hiſt. cap.* 7. ὅπερ οὐχ ἕψουσιν ἀλλὰ πρὸς τοὺς μυττωτοὺς χρῶνται. καὶ ἐν τῇ τρίψει, θαυμαστὸν ποιεῖ τὸν ὄγκον ἐκπυδυματούμενον; *dum teritur admirabilem facit effervescentiam, ſeu ſpumam.*

Non ſolum famoſum, ſed & inviſum eſt Allium, in ſubido ſuo halitu, & tetro, quem exſpirat, odore, abs quo multi ingenita ἀντιπαθείᾳ abhorrent. Homines verò honorati non ſolum ægrè illum ferunt, ſed & eum olere, dedecori ſibi ducunt. Eo nomine *Plinius* appellavit *Allij cibum illiberalem.* Si quisquam illius oſor fuit, utique *Horatius* non ambulabit poſtremo loco, qui *Epod.* 3. poſtquam Mecœnatem ab Allij eſu dehortatus eſt, hoc illi præceptum ſuggerit, ut ſi omnino eo abſtinere nequeat, faciat ſaltem ne oſculaturus, amicæ moleſtiam exhibeat olido halitu. Sic autem canit:

At ſi quid unquam tale concupiveris
Iocoſe Mecænas, precor,
Manum puellа ſuavio opponat tuo,
Extremâ & in ſpondâ cubet.

Apud *Ægyptios* ijs, qui Allium guſtaſſent, interdicebatur, ne magnæ matris templum ingrederentur, propter abominabilem & turpem odorem, referente *Athenæo.*

Cæterum Allij hic odor ejus eſt efficaciæ, ut comeſtori quidem robur ac vires addat. At qui comeſtorem comitatur, juxtaque eum it, aut operatur, ejus vires ſuffuretur, proſternat, adeoque languentes reddat & debiles: Cujus rei documentum ab equis capi poteſt. Currant invicem juxta ſe equi, quorum unus allij bulbo paſtus ſit, alter non item. Iſte quidem vegetus, & præter morem alacer curret. At hic percepto Allij odore, labaſcet in via, neq; gradiendo paria iſti facere poterit, fortior quantumvis. In Belgio, qui Gallorum Gallinaceorum prælijs ac duellis delectantur, id curant

rant

rant unicè, ne alter illorum allium eſitarit, quo fine utrumque Gallum ſpectatores olfacere ſolent. Hanc conſuetudinem præmuniendi Gallos allio ante duellum (quod *σκοροδίζειν* Græci vocant) non recentem eſſe, ſed priſcis Græcis uſitatam, nuper legi apud *Xenoph. in ſymp.* Locus eſt notatu perquam dignus: Εἰς μὲν γὰρ μάχην ὁρμωμένῳ, καλῶς ἔχει κρόμμυον ὑποτρώγειν, ὥσπερ ἔνιοι τοὺς ἀλεκτρυόνας σκόροδα σιτίσαντες συμβάλλουσι.

Ingratum hunc allii comeſti fœtorem reprimere & abolere dicitur Zedoaria vel petroſelinum, vel aniſum, protenùs mandúcatum.

Suidas ſcribit, apud *Megarenſes* permultam Allii copiam eſſe, cujus Acrimonia lacrymæ exprimantur ab invitis. Unde apud *Ariſtoph.* qui lacrymatur, allium olfacere per jocum dicitur, indeque proverbium *Megarenſium Lacrymæ.* De Allio, proverbia quædam circumferuntur: *Ne allii quidem caput. Ariſtoph. in Veſp.* dictum de homine extremè quidem parco ac ſordido, qui hoſpitibus ne quidem nucleum allii apponit. *Allia ne comedas & fabas:* id eſt: Ne vel bello te immiſceas, vel in judicio aſſis. In bellum inferebantur Allia pro commeatu militari; In Judicio vero fabas eſitabant, ne obdormiſcerent. *Hæc Suidas.*

Allium in retibus. De ſordido commeatu dictum, enatum inde, quod Attici in expeditionibus faciendis commercabantur allia, eaque in reticulis ferebant ſecum. Wann der Knoblauch blühet/ Verbo noſtrate dicitur de eo, quod futurum eſt ad calendas Græcas. Neque enim obſervatum eſt, in his regionibus Allium unquam ſemen aut flores habere.

d CAPUT

CAPVT III.

CEPA.



I. NOMEN.

CEpam dictam *Varro* autumat, à *capite* cujus ſimilitudinem gerit, dum in caput ſuum excreſcit. *Plinio τὸ* cepe dicitur indeclinabile, *lib. 19. cap. 6. Ergo omnibus annis ſeparatum ſemen cepe cauſa ſeritur, & ſeparatim cepe ſeminis.* *Columellæ* dicitur *Unio*, (unde Gall. *Oignon* & Belgarum aiiun,) quoniam bulbus ejus ſingularis eſt, & ſimplex, non habens multiplicem ſobolem adhærentem. Cætera fere bulboſa, Tulipæ, Narciſſi, Lilia, &c. luxuriant excreſcentiis, parenti bulbo adnatis; At cepa ſemper ſolitaria eſt.

Palladius cepullas vocat omnium minimas, quaſi parvas cepas, ex qua Origine profluxiſſe videtur Germanica vox, Zipollen/Zwiblen.

Græcis eſt *κρόμμυον*, & apud *Poetas* ac *Xenophontem κρόμυον*, dictum, ut ajunt, quod *αὐτὸ ὀσφραινόμενοι ἢ ἐσθίοντες τὰς κόρας μύομεν*: oculos enim claudere ſolent, qui cepas naribus admovent, aut ori ingerunt.

II. DIFFERENTIÆ.

CEparum differentiæ ſunt:

I. *A figura:* Aliæ rotundæ, aliæ oblongæ.

II. *A colore*, Albæ, nigræ.

III. *A quantitate*, magnæ, parvæ. *Coloniæ Agrippinæ* educantur in hortis religioſorum, cepe Moſcovica, tantæ molis, ut adæquent pondo octo librarum.

IV. *A natali Solo*, Germanicæ, Danicæ, Hiſpanicæ, &c.

Olim celebres erant variæ ceparum nationes, de quibus præter nomina nihil nobis relictum eſt, qui gaudemus, & contenti vivimus iis, quas noſtræ, & nobis vicinæ regiones ſubminiſtrant. Cepe, *Cypria, Sardia, Cnidia, Cretica, Samothracia, Aſcalonia*, ſeu *Pompejana, Mariſſa, &c.* commendata ſunt à *Plinio, Columella, Catone, Varrone, Palladio*, & aliis. Iſtorum omnium loco, nobis Germanis ſunt *Germanica, Danica, Moſcoitica, Hiſpanica*, quæ poſteriora cætera omnia antecellunt dulcedine & magnitudine, & quotannis ingenti copia in Hollandiam advehuntur. *Romæ* in precio præ cæteris ſunt, quæ *Cajeta* advehuntur; *Amſterodami*, quæ de *S. Omer.*

III. SPECIES.

I. *Cepa Vulgaris; rotunda; ſativa; alba:*

II. *Eadem rubra.*

III. *Cepa oblonga; Hiſpanica; alba; grandis:*

IV. *Eadem rotunda.*

V. *Cepa Setania; minima; Saccarina; Cepulla Palladii:* Hæc candidior eſt cæteris, & ſaporis ſuaviter dulcis, adeoque in deliciis cocta ſub cineribus. Quandoque inter Vulgaria cepe reperitur, abs quibus facile diſcernitur albedine, dulcedine, exilitate. *Cepæ ſciſſæ & ſciſſiles* aut *fiſſiles*, non conſtituunt peculiarem ſpeciem, ſed eæ ſic nominantur, quæ per hyemem ſervatæ cum herbâ, Vere detonsâ herbâ replantantur.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Quod hodie paſſim per Europam Cepe tam cruda eſitentur, quam cocta in juſculis carnium, piſciumque, id vero notiſſimum eſt. Antiquos etiam tam Hebræos quam Græcos à cepis non abhorruiſſe, teſtis eſt *Codex ſacer Num. c.* 11. quando ſuſpirat & anhelat populus DEI, Ægyptiaca Edulia, Cucumeres, porros, cepas & allia. Teſtis eſt *Homer. Iliad.* λ. ubi Hecamede legitur Patroclo appoſuiſſe in menſa, κρόμυον ποτῷ ὄψον, ἠδὲ μέλι χλωρὸν, παρ' δ' ἀλφίτε ἱερῦ ἀκτήν. Cepas *Homerus* dixit, *potus obſonium*, quaſi ποτικὸν ὄψον προσφάγιον δίψης παρασκευαστικόν. Nimirum hanc facultatem cepis & *Dioſcor.* aſcripſit *lib.2.cap.*181. quod ſint διψώδη, ſiticuloſæ, excitantes bibendi prolubium, ob acredinem qua ſunt donatæ. *Xenophon. in ſuo convivio* non ſolum ad teſtimonium citavit *Hom.* Verſum, ſed & Hecamedæ factum ſequutus, apponi ſuis convivis itidem curavit cepam, eâ fine ut prolixius biberent. Ἐάν, inquit, ἐνέγκῃ τὶς κρόμμυον, αὐτίκα μάλα τοῦτό γε ὠφελημένοι ἔσεσθε. Ἥδιον γὰρ πιεῖσθε. *Dioſcor.d.l.* addit eſſe ὀρέξιος ἐκκλητικὰ cepe. Quæ verba *Hermolaus* interpretatus eſt de lubidinis Venereæ incitaméto, cui opitulari natæ ſunt cepæ ob flatulentiam & acrimoniam; Poſſunt & intelligi de ſimplici ciborum appetentia, quæ proprie ὄρεξις tam Græcis, quam Latinis, ut liquet ex hoc Satyrici:

rabidam facturus Orexin.

Concitat vero cepe ventriculum ad appetentiam, vellicando, & mordendo, & calefaciendo, & exſiccando.

Sicuti hodie cruda manditur cum halece ſalita, vel ſeorſim, vel ad modum acetarii, additis oleo, pipere, aceto; ita & Martialis ætate comedi ſolitam, videre eſt ex hoc Verſu:

& putri cepas halece natantes.

Sapidum ſanè ferculum cepæ præbent vel toſtæ cum carnibus; vel elixæ cum iisdem: & piſcibus: vel juſculis innatantes, & valde *utiles* illis quibus *crudus humor* circum ventrem & *præcordia*; quem incidunt, coquunt, calfaciunt, obſtructiones reſerant. At bilioſis & ſiccis corporibus, non ita proficuæ ſunt crudæ comeſtæ. Ruricolæ iis ſine noxa veſcuntur crudis, cum pane & ſale; vel toſtis ſub cinere. Omnium ſaluberrimè eſitantur, cum petroſelino, maceratæ prius aqua, & tum elixæ, aut toſtæ. Ita promovent ἔργον φυσικώτατον; adaugent *Lac* nutricibus; corrigunt *noxas aquarum* inſalubrium. Non ignorandum cepas albas & rotundas commendabiliores eſſe ad eſum rubris & oblongis: oblongæ enim acriores ſunt rotundis, rubræ albis, ſiccæ viridibus, crudæ coctis. Cæterum utut palato gratæ ſint cepæ, ſunt tamen & incommoda, quæ ex illarum eſu proveniunt; (crudarum inprimis) non prorſus vilipendenda. 1. Concitare ſolent terribilia ſomnia, veſpere in cæna comeſtæ: Nimium vero ingeſtæ lethargum inducere & deliria: ob acres, turbulentos, & impuros vapores, occupantes arcem rationis. 2. Oculis obſcuritatem & glaucoma objiciunt, propter eosdem halitus. 3. Acrimonia ſua lacrymas eliciunt, ingratiis; & oculos vellicando lædunt; ut 4. nihil dicam de ingrato odore, & rictus projectione ex ventriculo.

Cepas (ſicuti & allia) conſciſſas immiſſasq; in *Talparum* ſubterraneos meatus, abigere hoc animal ex hortis fama eſt; de quo experimento, aliquid annotavimus *l.1.c.36. §.5. Horticulturæ noſtræ.*

IN RE MEDICA. Ceparum uſus medicus eſt tam *foris* in corporis ſuperficie, quam *intus* adhibitarum.

Exterius. Ipſa quidem cepe comeſta oculis nocent, ſuccus tamen eorum *oculis* inſtillatus *maculas*, aliaque vitia vel aufert, vel corrigit. In *Alopecia*, & *Ophiaſi* cepis fricare jubent Medici partes capitis glabellas.

Ex ſucco ceparum, & ad pe Gallinarum, paratur unguentum nobile, ad reparandam *cuticulam* abraſam.

Ambuſtis imponitur proficuè cepa toſta ſub cineribus.

Cepe elixum cum ficubus, impoſitumq; *apoſtematibus* nondum maturis, brevi ea perducit ad ſuppurationem, ſeu Vulgaria ſint Apoſtemata, ſeu Peſtilentialia.

Interius. Cepe toſtum cum cinere & comeſtum cum ficubus aut melle, aut ſaccaro, vehementer conducit *affectibus thoracis*, & *colli: aſthmati, anginæ, tuſſi*, &c. Peſſus è cepis paratus, immiſſusq; in genitalia, excitat *menſium fluores*, à frigore retentos, & *ſecundinas* educit.

Succus crudus cum lacte muliebri: vel cepe crudum ſub cinere toſtum, exindeq; elicitus ſuccus auribus inſtillatus efficaciſſimum eſt remedium adverſus *otalgiam, tinnitum, ſurditatem, & tumores* interiores *aurium.*

Idem ſuccus attractus per nares *purgat Cerebrum.* Ex cepis *ad peſtem* Medicamen ſalutare conficitur, quod eſt hujusmodi. Ex diſſecta cepa corculum, id eſt, intimũ nucleum exime. Foramen repleto Theriaca, addito limonum ſucco, & terebinthinæ Venetæ pauxillo. Occlude iterum, ſuperimpoſito fruſto abſciſſo, & aſſato cepe ſub cineribus, donec omnia fuerint bene commixta. Tum exprime ſuccum, eumq; da ebibendum homini peſtilentia correpto, jubeq; prolixè ſudare. Quod reliquum ab expreſſione, in modum cataplaſmatis impone buboni peſtilentiali.

Cruda cepa fruſtillatim diſſecta: macerata per diem in aqua: eaque aqua bibita *lumbricos* à pueris efficaciter pellit.

V. CULTURA.

TERRAM cepe amant vehementer ſubactam; neutiquam arenoſam, ſed irriguam, pinguem. Ita propagatione adverſæ ſunt cum alliis naturæ. Allium per bulbos, & horum nucleos ſaltem, non etiam per ſemen, multiplicatur, quo caret: Cepe ſolummodo per ſemen, nõ per bulbos: ſunt enim Uniones, id eſt, uno bulbo conſtantes, in nullos nucleos aut appendices ſeparabili.

Semen ceparum ſeritur primo vere, menſibus Februario, Martio, Aprili, Lunâ decreſcente, ſi tempus patitur: Seriturq; rariſſime, alioquin nequibunt grandeſcere bulbi, nimis arctè nati. Pulvillus iis vel peculiaris deſtinatur, vel ſemen mixtum ſeminibus lactucæ, ſaturejæ, paſtinacæ conjicitur in communem Thorum. Veruntamen, & *bulbi* plantantur, non quidem ut ipſi ſe multiplicent, ſed partim in ſpem ferendi colligendi-

que ſeminis; partim ut exitu Veris cepæ ſint in promptu. Sed nolunt alte terra defodi. Id vero fit Martio.

Utraq; tam quæ ex ſemine enaſcuntur quam quæ ſunt plantatæ, ſuam deſiderant curam.

1. Seminata cepe, ſæpius tonderi deſiderant, comamque ſibi volunt auferri, non cultro, ſed manu; abſtinendo ab hac decerptione cum pluviæ ſunt in proclivi. Tum ſi avellas, ſubibit aqua excavatos canales, totumq; putreſcet germen. Circa Jacobi diem ſolent olitores comas ceparum pedibus conculcare, ut bulbi fiant auctiores, ſubtracto ſcilicet nutrimento ipſi comæ, & translato ad ſolos bulbos. Cum exitu dierum canicularium, conſequuntur cepe ſuam maturitatem. Tum eximi è terra, & convenientibus locis ſuper laquearia recondi poſſunt.

2. Plantata cepe ſeminis gratia, (cui fini eligi ſolent Hiſpanica) paulo accuratiorem curam deſiderāt. Si bulbus unus pluſculos dedit verticillos, aut capita ſemine turgida, demenda erunt nonnulla priusquam adoleſcant. Ita reliqua citius & perfectius matureſcent. Tum porro caulem fulcire affixo baculo oportet, ne quatiatur ventis, quippe fragilis per naturam, & totus fiſtuloſus: ne qua cervices tempeſtatum afflatu languidæ ſuccumbant. Neq; decerpendum prius caput, quam ſemen adeptum fuerit plenam maturitatem, quod ex nigricante colore deprehendes, ſoletque fere Auguſto menſe fieri. Vellendi autem ſunt thalli ſemiſicci, & in ſole porro ſiccandi.

VI. COROLLARIUM.

IN cepis præter caulem duo ſunt, *Bulbus & fibræ*, ſeu radiculæ ſub bulbo. *Quæritur quæ hic ſit proprie radix? Bulbus ne an fibræ?*

1. Si radix eſt, quod infra terram eſt, & occultatur: Bulbus vero cepæ è terra prominet totus: fibræ vero terram ſubeunt: certe non bulbus, ſed fibræ videntur eſſe radices ceparum.

2. Deinde radix eſt, quæ terræ inſerta, ex ea alimentum ſugit. At id officium præſtant fibræ.

Mea tamen ſententia eſt, Bulbum ceparum revera eſſe radicem. Radix enim genus eſt, cujus ſpecies ſunt variæ, Bulboſæ, tuberoſæ, fibroſæ, ligneæ. Enimvero ea eſt Radix plantæ, ex qua caulis enaſcitur: (omnis ſiquidem caulis ex Radice:) At ex Bulbo cepæ ſuopte ingenio progerminat caulis. Hæc eſt Indoles plantarum omnium bulboſarum, ut radix earum conſtet duplici partium apparatu, tum bulbo, tum adnatis fibris bulbo, quæ duo conjuncta totius radicis perfectionem abſolvunt.

Quod afferebatur 1. Non eſt καθόλȣ, omnem Radicem terra neceſſario abſcondi. Sæpe ſtirpium, (ut altiſſimarum quercuum, braſſicæ rapaceæ &c.) radices per ſuperficiem telluris reptant aliqua ſui parte.

Ad 2. Fateor etiam fibrarum officium eſſe nutrimentum ſugere è terra. Sed id non prohibet bulbos eſſe radices. Nam & vaſtæ arborum Radices, & Radices fruticum, herbarumque, ſuos habent villos, fibrasque, quibus attrahunt; proinde tamen non deſinunt eſſe radices.

In

In hiſtoriarum monumentis legimus, Peluſiotas Ægypti ſacerdotes, cepas religioſè cibis abdicaſſe, cujus ſuperſtitionis cauſas pluſculas *Plutarchus* enumeravit, *opuſculo de Iſide & Oſiride*. Præcipuæ hæ fuere.

1. Quia cepas & allium venerabantur, tamquam Numina: adeoque dicente *Iuv. Sat.* 15.

Oppida tota canem venerantur: Nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas trucidare, & frangere morſu.
O ſanctas Gentes! quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Horat. Epiſt. 12. *l.* 1.

Verum ſeu piſces, ſeu porrum & cepe trucidas.

2. Quia ceparum Natura, cum Indole reliquorum eduliorum, ſeu plantarum, ſeu animalium, deprehenditur divortium facere. Cætera fere omnia, utramq; Lunæ fortunam ſequuntur: Illa aucta & creſcente, augentur & creſcunt. Minuta lumine, minuuntur. Oſtreæ, conchylia, gammari, paſſerum, aliorumq; animalium cerebella, aucta plenaque Luna, plena ſunt carnis & humoris: Luna ſilente, vacua ferè & exſucca; Solæ cepæ contraria lege aguntur. Quanto magis Luna lumen deponit & imminuit, tanto magis iſtæ ſpecioſo & læto habitu turgent.

Præterea etiam eam ob cauſam: quoniam cepe diſſecta, multiplicem Lunæ effigiem & φάσεις oſtendunt.

3. Quia cum acrimonia ſua cepe faciant, oculi lacrymas ut exſtillent; itemq; ſitim & cibi deſiderium proritant, judicatæ ſunt non ſolum inutiles, ſed & noxiæ *partim* illis, qui dierum feſtorum *lætitias* peragerent: *partim* his, qui *jejunio* caſtitatem cuſtodire ſatagerent. *Ferias celebrantibus*, quoniam lacrimoſo odore optatam per dies Feſtos lætitiam turbarent: & quas mortales fugerent in re divina lacrymas, & animi mœrorem, inviti cepis eſitatis admittere cogerentur. *Iejunia peragentibus:* quia hos ad ſitim famemque, ad potus & ciborum appetentiam invitarent.

Ob duas incommoditates odioſæ ſolent eſſe cepæ. 1. Ob *fœtorem*, ſicuti & allia. 2. quod *lacrymas* invitis excutiant.

1. *Fœtorem* iſtum Græci peculiari nomine appellarunt κρομμυοξυρεγμίαν; *Ariſtoph. Parc.* Τοῦ γὰρ μὲν ὄζει κρομμυοξυρεγμίαν.

Ubi *interpres* addit: δριμεῖα γὰρ, καὶ ἀηδὴς ἡ τοιαύτη ἐρυγή: indeq; natum proverbium κρομμύων ὄζειν, de quo *Xenoph. in ſympoſ.* prolatum in fœtentes & ſordidas animas. *Dioſcor.* vero aperte vocat cepas ἀσώδη, id eſt, acore ſuo afferentes ventriculo faſtidium. Pulchrum eſt, quod apud eundem *Xenophont. in Convivio* nuper ſcriptum reperi. Cum Niceratus cepam ſibi afferri juſſiſſet, ut ea commeſta biberet ſapidius ac uberius, imitans factum Hecamedæ Homericæ, de quo paulo ante, jocari cepit cum eo Charmides, quaſi ea præcipuè de cauſa cepam eſitare cuperet, quo ex fœtore ipſius oris uxor colligeret, ipſum nō cogitaſſe oſculari aliam mulierem: Ω ἄνδρες, ἔφη Χαρμίδης, ὁ Νυκήρατος κρομμύων ὄζων, ἐπιθυμεῖ οἴκαδε ἐλθεῖν, ἵν' ἡ γυνὴ αὐτοῦ πιστεύῃ μὴ διανοηθῆναι μηδεμίαν φιλῆσαι αὐτόν. Nam quod nuper de allio annotavi, non amant puellæ admittere oſculationem, cujus anima fœtet, & olet allium aut cepe.

2. *La-*

2. *Lacrymas* ex oculis cepæ excutiunt vi ac ingratiis; eaq; gratia *Athenæo l.*8. dicuntur *Lacrymoſæ*, itemq; *Columellæ*:

Atque oleris pulli radix Lacrymoſaque cepa
Ponitur.

Perſius eas appellavit *mordentes Saty.*4.

tunicatum cum ſale mordens
Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam.

Virg. ſeu autor *Priap.*47. *acres.*

Acresque cepas alliumque furatum.

Vellicando enim acrimonia ſua, vi halitus penetrantis, cogunt oculos exſtillare lacrymas. Inde apud Græcos proverbium *κρόμμυα ἐσθίειν, ἢ ὀσφραίνεσθαι*, id eſt, invito flere. *Bias* apud *Diog.Laert.lib.*1. Regem ad ſe venire mandantem, aſpernatus eſt; reſcripſitque: Ἐγὼ Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν, id eſt, *κλαίειν τε καὶ ἄλγεα πάσχειν*. *Ariſtoph.in Ranis* ſic habet: *τί δῆτα κλαίεις; κρομμύων ὀσφραίνομαι.*

Sed mox idem ibidem apponit, *κρομμύων οὐκ ἔδω*. quo innuit ſe vel citra cepas fleturum. Præficæ, aliæque mulieres, quæ *ut flerent oculos erudiere ſuos*, ceparum vel oculis admotarum, vel comeſtarum ope, lacrymas ſibi prolicere didicerant quondam.

Herodotus narrat, in cepas, allia, & apium, dum extrueretur pyramis, expenſa eſſe 1600. talenta. *Plinius l.*36.*c.*12. ponit 1800. talenta: Si talenta Attica intelligamus, quorum unum æquivalet 600. coronatis, erit tota ſum̃a, juxta *Herodotum*, 960000. coron. juxta *Plin.* 1080000. cor. coronati autem 100000. conficiunt Tonnam auri magnam. jam erunt in hæc olera inſumptæ tonnæ auri novem & $\frac{3}{5}$ unius Tonnæ: Et juxta *Plin. X.* Tonnæ cum $\frac{4}{5}$.

Coronidis loco addo, quod invenerim, apud probatos ſcriptores, Romæ olim pueros ingenuos alliorum & ceparum caulibus, tanquam Virgis, cædi ſolitos.

CAP. IV.

CAPVT IV.

COLCHICUM.



e

I. NOMEN.

Colchos regio juxta *Pontum*, quondam Regis Æetæ imperio, aurei Velleris cuſtodiâ, Jaſonis expeditione, Medeæ arte, veneficorumq; aliorum multitudine famigerabilis, & à Poëtis prolixè decantata eſt. Ea *Colchis* feraciſſima fuit Herbarum venenatarum teſte *Horatio.*

Herbasque quas & Colchos atque Iberia
Mittit Venenorum ferax.

Proinde quæ inter Venena ſunt præcipuæ notæ, *Colchica* dici cœperunt. *Horat.l.2.o.13.*

Ille venena Colchica
Et quidquid usquam concipitur nefas, Tractavit.

Hinc & enata eſt appellatio hujus noſtri *Colchici*, cujus prima & notiſſima ſpecies, vi nociva & deleteria, nihil cedit venenis Colchicis; fuitq; haut dubio è Colchide principiò translatum Colchicum ad provincias exteras. Sunt præterea & alia nomina Colchico.

Bulbus agreſtis; Strangulatorius.
Panis Ciconiæ.
Narciſſus purpureus Plinij.
Hermodactylus ſpurius vel *officinarum*, (verus enim Hermodactylus alia eſt planta, de qua ſuo loco.)

Ephemerum. Ἐφήμερον *lethale*, quia ſpatio diei unius mortem infert. Sciendum tamen duas has voces *Colchicum* & *Ephemerum* bifariam uſurpari. 1. *Generali* acceptione, pro toto hujus plantæ genere. Sicque pro eodem ſumuntur apud *Dioſc.l.4.c.82. Et l.6.c.5.* Item apud *Nicandrum in Alexiph.*

Ἢν δὲ τὸ Μηδείας κολχίδος ἐχθόμενον πῦρ
Κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον.

Apud *Æginet.l.5.* Τοῖς δὲ Ἐφήμερον λαβοῦσιν ὃ ἔνιοι καλοῦσι κολχικόν.

2. *Sigillatim* & ſtricta ratione, à ſe invicem diſtinguuntur Colchicum & Ephemerum, ſuntq; diſtinctis duobus capitibus explicata à *Dioſcor. Colchicum* quidē *c.82. Ephemeron cap 83 lib.4. Colchicum* ſic ſtricte dictum, peculiaris eſt herbæ ſpecies, hujus loci, naturæ venenoſę, radice bulboſa. *Ephemeron* alia item ſpecies eſt, naturæ innoxiæ, radice adinſtar digiti craſſa, quam *Dioſc.& Gal.* innuunt ſpeciem eſſe Iridis ſylveſtris; Revera autem qualis ſit, adhuc dum ignoratur. Nā quod Fuchſius Ephemeron hoc *Dioſc.* arbitratus eſt eſſe *Lilium Convallium*, nimis abſurdum eſt, & ridiculum. Ad differentiam Ephemeri innoxij & non lethalis, Colchicum dictum fuit *Ephemerum lethale.* Gallis vocatur *Mort au chien*, quod canib præſentem afferat perniciem. Dicebatur antiquitus *Refugium ſervorum:* quia ſervi à Dominis nimis duriter & inique habiti, per deſperationem ſe ſuffocaturi, edebant Colchicum, ut impias Herorum manus effugerent.

Germ. Nackde Jungfraw: Nackde Wyffken/offt hooren. Spinblumen.
Winterblumen/
Zeitloſen/
Storckenweek/
Hundeshoden/
Wild Saffran.

II. DIF-

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A tempore.* Colchicum aliud Vernum, aliud Autumnale.
II. *A floribus.* Simplex aut pleniflorum.
III. *A foliis.* Latifolium, tenuifolium.
IV. *A quantitate.* Majus, minus.
V. *A colore.* Album, purpureum, flavum.
VI. *A Loco natali.* Bizantinum, Neapolitanum.

III. SPECIES.

COLCHICVM VERNVM.

I. *Colchicum floribus initio albis, dein purpureis. Tam flos, quam folia exilia admodum ſunt.*
II. *Idem floribus rubro-purpureis.*
III. *Colchicum vernum, flore flavo.*

COLCHICVM AVTVMNALE.

IV. *Colchicum purpuraſcens; ſimplex: Vulgare.*
V. *Colchic. purpuraſcens pleniflorum.*
VI. *Colchic. atro purpureum,* πολυανθὲς.
VII. *Colchic. album, flore ſimplici.*
VIII. *Colchic. album pleniflorum.*
IX. *Colchicum album rarum: Anglicum:* hoc habens peculiare, quod Autumno folia ante flores emittit, ubi cætera flores dant autumno, folia vere.
X. *Colchic. variegatum; album diſtinctum lineis rubris.*
XI. *Colchic. verſicolor. tribus internis foliis albis; tribus externis rubris.*
XII. *Colchic: minimum: floribus ſemper clauſis, nunquam hiantibus.*
XIII. *Colch. flavum non lethale:* (quidam id agnoſcunt pro Ephemero *Dioſc.*) ab Hiſpanis vocatum *Libollina: Alborana:* nec non *Açaçenas Amarillas.* |

Sunt & aliæ Colchicorum varietates pro locorum genio & natura, *Neapolitanum, Salmanticum, Alexandrinum, Bizantinum, Luſitanicum,* & ab primis patronis dicta: *Hondianum, Boiſottinum:* uti & illud, quod *Cluſius* vocat *Biflorum*, quod uno anno aliquando bis, poſtidea vero ſemper ſemel ſaltem floruit, ſpecies haut dubio Colchici verni. Sed omnia non conſtituunt novas ſpecies, facileque & ſine errore ad prænumeratas referri poſſunt.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Vix alium Patrifamilias uſum præſtat Colchicum quam ut hortum exornet flore elegantiſſimo, qui per medias nives ſæpè caput nudum exſerit, nullis veſtitum aut comatum floribus. Equiſones tamen & bulbis utuntur contuſis, ac cum nitro mixtis, iiſq; cõfricant nigras equorum jubas caudaſq;, quę abjecta nigredine induunt colorem candidũ. IN RE MEDICA. *Foris.* Colchicum contuſum membriſq;

impoſitum, aculcos impactos educit. Cum melle & farina fabacea tumores emollit: cum aceto & ſemine urticæ cutim reddit nitidam. *Internus.* Colchicum venenis accenſent Botanici omnes, fateturq; *Dioſc.l.4.c.82.* ſe non alio fine depinxiſſe hanc plantam, quam ut quiſq; ſibi ab ea caveret, ne quis ejus bulbo veſceretur, allectus dulcedine. Ea dulcedo illi forte ineſt Regionibus calidis, ſed hic locorum bulbus ubivis amarus eſt & tetri ſaporis.

Præſentaneo periculo enecat, ſtrangulando, haut ſecus ac fungi noxij ſolēt. Quas vero corpori noxas faceſſat, recenſuit idem *Dioſc.lib.6.c.5. Pruritus,* inquit, *excitatur* καθ' ὅλον τὸ στόμα, *toto ore,* (ſic malo legere quam καθ' ὅλον τὸ σῶμα, ut corrupte habent vulgata Exemplaria) non ſecus ac ſi quis Urtica aut ſcilla uſtulatus fuerit. Interna ſentiunt roſionem: Stomachus cum ingenti gravitate exæſtuat. Invaleſcente morbo cruor ſtrigmentis admixtus per alvum ejicitur. *Braſſavolus Exam.purg.* ſcribit ſe guſtaſſe Colchici bulbum, & ſenſiſſe ita ſibi coarctari guttur, ac ſi quis fuiſſet qui manu conſtrinxiſſet.

Quod de *Oris,* non de totius corporis pruritu dixi, [id ſuo calculo & conſenſu probat *Nicand. Alex.* οὐ περὶ χείλη]

Δευομένου δυσάλυκτος ἰάπτεται ἔνδοθι κνηθμός,
Οἷά τ' ὀπῷ νιφόεντι κράδης, ἢ τρηχέϊ κνίδης
Χρῶτα μιαινόμενος, ἢ καὶ σπειρώδεϊ κόρσῃ
Σκίλλης, ἥ τ' ἐκπαγλα νέαν φοινίξατο σάρκα.

bujus labra circum
Spumantis, inevitabilis corripit intus pruritus,
Qualem cui ſucco niveo ficus, aut aſpera urtica
Corpus eſt tactum: aut ſeminifero bulbo
Scillæ, quæ ſtupefaciens mollem rubefacit carnem.

Huic malo quę adverſim opponi remedia debeant, oſtenſum eſt à *Dioſc.d.l.6.c.5.* lactis inprimis bubuli magna copia hauſta. Cæterum quanquam ſuſpectus, & periculoſus ſit colchici uſus, tamē hodie major ſeplaſiariorū pars, bulbos hos pro Hermodactylis, & uſurpat & vendit. Nimirum quia, ut dicemus *c.x.* Hermodactylus verus antiquorum ignoratur, neq; à nobis poſſidetur hodie. Quin imo ſunt medici, qui ſuppoſititio hoc hermodactylo, ſeu Colchici bulbis in medicaminibus catharticis, data occaſionę utūtur. Bulbis inquam, non recentib. ſucculentis, qui haut minus ſtrangulāt, quam ſi cui laqueo occluderētur fauces, ſed exſiccatis orbatiſq; noxia humiditate. *Braſſavola Exam. purg.* diverſos ijs utēdi modos ſibi familiares annotavit. 1. Iubet eo modo edi quo caſtaneæ ſolent, crudos, non coctos; aitq; referre ſaporem caſtanearum, neq; eum ſibi guſtanti diſplicuiſſe. *Doſis* ℥j *cum zinzib. & pipere pulveriz.* Educere autē per catharſin τὴν κάτω pituitoſos & craſſos humores. 2. Parat ex illis decoctionē. *Rec. Hermod.* ℥ij. *zinzib. piper. Garyoph. Maſtich. ſing.* ℈j. *contuſa craſſo modo mixtaq; coq. in aqua ſalv. aut major.* Decocti & colati *doſis* ab ℥ij ad ℥iiij. 3. Redigit in formam pilularū, additis ſupradictis Aromatibus. 4. Tentavit quoq; Bulbos recenter evulſos contuſoſq; redigere in paſtæ formam, additis ſimiliter aromatibus: *Rec. Hermodact.* ℥ß. *Zingib. Garyoph. Maſtic. Cinnam. ſing.* ℈ß. *mixta cum ſyr. de Cort. citri rediguntur in formam Eclegmatis; de quo* ℥ß. *exhibet.*

V.CUL-

V. CULTURA.

NOn exigit Colchicum peculiarem induſtriam, ſed quovis ſolo mediocri poſitum floreſcit. Propagatur non ſemine, ſed bulbulis, quos annuatim parens bulbus ſibi aggenerat, tanquam ſobolem.

Circa Jacobi Feſtum eximuntur è terra; & linquuntur in aere, per aliquot ſeptimanas. Tanta eſt illius luxuries, ut in aere extra terram flores ferat.

Colchici πολυφυλλάνθους bulbus quo annoſior, eo plures & pulchriores dat flores.

Prout diverſo ſolo, fertili aut macro; duro aut tractabili plantatur, ita vel lætius vel triſtius floreſcit.

Colchicum autumnale folia emittit Vere, quæ æſtate perennant. Flos autumno, folijs omnibus jam emortuis, emergit.

CAPVT V.

CORONA IMPERIALIS, SEU ARCHITHYRSVS.



I. NOMEN.

HÆc planta, quemadmodum noviter noſtro orbi innotuit, ita etiam nova indepta eſt nomina. Nos eam nuncupamus *Archithyrſum*, quaſi ſceptrum Regium, θύρσος enim haſta eſt, frōdibus veſtita, qua olim utebantur in ſacris Bacchi: *Virgil.*

Inſtituit Daphnis Thyrſos inducere Baccho,
Et folijs lentas intexere mollibus haſtas.

Certè huic Plantæ caulis eſt procerus, erectus, inſtar haſtæ, folijs mollibus decenter veſtitus.

Vulgo, *Corona Imperialis.*
Flos Herbariorum.
Tulipa grandiflora.
Diadema Papale.
Cluſius putat eſſe *Dioſcoridis Hemerocallida.*
Orientalibus, quibus acceptam ferimus ejus communicationem, *Tuſai, Touſay, Tale.*
Germ. Käyſer oder Königkron. Könings-Lillen.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A quantitate.* Archithyrſus alius magnus, alius parvus.
II. *A floribus:* pleniflorus, aut ſimplex; geminus, aut tergeminus.
III. *A colore*, ruber, flavus, mediæ ſortis.
IV. *Ab odore*, fœtens, ſuaveolens.
V. *A tempore*, præcox, ſerotinus.

III. SPECIES.

I. *Archithyrſus communis, uno ſimplici florum ordine, coloris flavi.*
II. *Archithyrſus, uno ordine florum, colore Sandaracæ, aut coctorum gammarorum*, multo elegantior & rarior priore.
III. *Archithyrſus ſimplex floribus dilutè rubentibus, media ſpecie inter flavum & rubrum.*
IV. *Archithyrſus ſimplex folijs multo exilioribus, quam antecedentes, flore & bulbo non ingrati odoris. Color floris ſimilis eſt ſecundæ ſpeciei.*
V. *Archithyrſus duplici florum ordine:* Inferius ut plurimum flores XI. ſuperius VI. aut VII.
VI. *Archith. triplici florum ordine.* Hæc ſpecies Conſtantinopoli familiaris eſt. Apud nos rariſſima.

Duæ hæ Varietates, cum gemina & triplicata florum ſerie, propriè diſtinctæ ſpecies non ſunt, ſed luſus ſaltem laſcivientis Naturæ. Nam qui per unum, aut alterum annum, ita exornatus fuit Archithyrſus, is anno tertio ut plurimum redit ad antiquum naturale Ingenium, & uno florum ordine contentus prodit.

VII. *Archithyrſus caule duplicato & expanſo in conſpicuam latitudinem.*

Ego conjector paratum eſſe hunc florem mangonio aliquo, & peculiari arte. Duo enim bulbi diſſecti non procul à meditullio, (parte illa, è qua flos prodi-

proditurus eſt, illæſâ) & poſt iterum invicem commiſſi, colligatiq; arctè vires ſuas conjungunt, & caules quidem emittunt duos, ſed connatos, invicemq; per συμφυσιν unitos, & ſibi appoſitos, ut unus videatur, ſed latitudine ſua adęquans Ideam duorum. Hic latus caulis interdum, (cum ſemiulnę altitudine à terra aſſurrexit,) bipartito dividitur, & quavis excreſcentia peculiarem producit thyrſum, x. aut xi. floribus inſignem. Interdum unitus manet, neq; divaricatur. Tum quandoque unus thyrſus xl. ac l. ſæpè lx. lxx. flores dediſſe viſus eſt. Verum hoc ſpectaculum ὠκύμορον eſt, & vix ultra æſtatem unam perennat, moxque redit ad ſimplicitatem Vulgarem.

IV. VIRES ET USUS.

DE facultatibus Archithyrſi pauca dicere habeo. Nova hæc eſt planta, ſilẽtio præterita ab antiquis ſcriptoribus. Itaq; & ignorantiâ ſepultæ, jacent illius Virtutes. Quæ de herbarum Viribus ſcimus plæraq;, paucis exceptis experimentis novis, ea niſi à priſcis accepiſſemus, ſciremus juxta cum ignariſſimis. Si quæ novæ ſtirpes ſe oſtentant, in ijs piſce ſumus mutiores. Unde æſtimet quilibet, quantum debeamus antiquitati, & quàm ſtrenua nos exerceat inertia! Oblectamus nos externa ſpecie: Incluſas poteſtates non rimamur, prorſus ſimiles Vulpeculæ, lambenti vas Vitreum & pultem incluſam non attingenti. Obhæremus in Cortice & putaminibus. Nucleum non attingimus: Nemo floris tam admirabilis, & vere Imperatorij: nemo bulbi tam grandis, (qui ſæpè bilibris inventus eſt,) virtutib. eruendis cognoſcendiſq; operam locat. Itaq; ſolius oſtentationis, oblectamenti, & ornatus gratia colitur in hortis. Poſſet hic flos, ſpecie, magnificentia, & admirabili pulchritudine cæteris omnibus palmam præripere, abſque odore ingrato ſi eſſet, qui totam hanc plantam, id eſt, bulbum, folia, flores, collutulat, & dignitatem reddit obſcuriorem. Sed ab hoc fœtore Batavæ mulieres etiam auxilium aliquod petunt, ſtabilitum felici ſucceſſu, & tuto experimento. In matricis præfocatione & aſcenſu, bulbum ad nares admovent. In ejusdem prolapſu applicant inferioribus, ſentiuntque affectibus his ſeſe protenus liberari.

De Interno uſu nihil mihi conſtat. Si *Cluſij* conjectura non abludit à vero, exiſtimantis Archityrſum eſſe *Dioſcoridi* vocatam *Hemerocallida*, jam eædem illi vires erunt quæ Hemerocallidi.

V. CULTURA.

ARchithyrſi propagatio gemina fit ratione. 1. per *ſemen*. 2. per *bulbulos*.

1. *Semen* æſtate media matureſcens, ante autumnum terræ reddendum eſt; & ſpacio ſequentium annorum, adoleſcit in bulbũ. Sed nimis tarda eſt hæc propagatio, per quam vix ante octavum annum flores exſpectãdi tibi erunt, & hi etiam degeneres.

2. Promptè multiplicatur, per *bulborum* ſobolem annuam, majori bulbo adnatam. Eos circa Jacobi diem è terra eximes: ſeparabis à matre; ſepones per menſem aut circiter in conclavi, & poſt replantabis ſeorſim, procreaturos etiam brevi ſuos flores. Bulbi omnes Archithyrſi ſuperiori parte foramine aliquo excavati ſunt, quo loco caulis quondam exiit. Id foramen, priuſquam ſolo reſtituantur bulbi, claudendum eſt, ſuperpoſito folio Vitis, ne pulvis aut aqua incidens, putredini præbeat occaſionem.

Terram

Terram amat optimè ſubactam, & pinguiter ſaturatam fimo ovillo, aut bubulo, remotam aliquantū à continua ſolis præſentia. Tali ſolo poſitus bulbus, caulem ſolet dare viſendę proceritatis, & flores copioſos. In arido & cōpacto ſolo bulbus marceſcit.

Eſt hic unus è primis anni floribus, circa finem Martij, vel Aprilis initio (ni aſperum nimis fuerit gelu) hortorum pulvillos exornare incipiens.

CAPUT VI.

CROCUS.

I. NOMEN.

CROCI Vocabulum pluſculis diverſis rebus commune eſt.

1. *Vitello* vel luteo ovi. *Trall.* λεάνας ζωὶ κρόκῳ ὠῶν.

2. Peculiari cuidam *frumentaceo generi*, & avenæ, de qua *Theoph. lib. 8. hiſt.*

3. *Radici* cuidam *Indicæ*, è qua ſuccus croceus exprimitur, quæ radix Croceus quidem appellatur, à Croco tamen noſtro tota cœlo differt.

4. *Cnico* vel *Carthamo*, quem multi ſylveſtrem aut Sarracenicum, nonnulli etiam hortenſem crocum vocant.

5. *Tenuibus filamentis*, ſeu ſtaminibus ſubruffis, quæ ex flore plantæ, Croci bulboſi, eximuntur, & ad Colorem Saporemq; aureum conciliandum, alioſq; varios uſus adhibentur.

6. *Poetæ* fingunt, neſcio quem adoleſcentem, Crocum, abs quo Crocus herba nomen ſuum primitus indepta ſit, de quo in *Corollario.*

7. Nobis hoc loco *Crocus* dicitur *tota planta* bulboſa, proferens florem, exornatum croceis ſtaminib. duobus aut tribus. Atq; hæc acceptio, (non ſpretâ etiam ea quę numero quinta eſt,) noſtro inprimis inſtituto accommodata eſt.

Grammatici dictum *Crocum* volunt, quod floreat ἐν κρύει hyberno tempore.

Dicitur tam *Crocus*, quam *Crocum* Latine: Juxta ac Græce κρόκος, κρόκον. *Crocus* in hoc *Virgilij* Verſu *lib 4. Georg.*

Et glaucas Salices, Caſiamque Crocumque rubentem.

Crocum vero apud *Plautum Curcul. Tu Crocum & Caſea es*, apud *Plin. l. 21. c. 6. Crocum ſylveſtre optimum.*

Nonnullis, *ſanguis Herculis.*
Mauritanis Zaffaran.
Germ. Saffran.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A tempore.* Crocus alius vernus, alius autumnalis.
II. *A Colore*, flavus, cœruleus, albus, variegatus.
III. *A flore*, pleniflorus, ſimplex, biflorus.
Item flore majore, minore.
IV. *A foliis.* Latifolius, anguſtifolius.
VI. *Ab Indole.* Verus & ſpurius ſeu ſylveſtris.

CROCUS.



III. SPECIES.

CROCUS VERUS.

I. *Crocus verus*; nusq̃ niſi Autumno flores, odoris ſuaviſſimi, *Coloris purpuraſcẽtis.*
II. Idem *Coloris candidi*; rariſſimus.
Quæritur & educatur, ſolorum ſtaminum gratia.

CROCUS SYLVESTRIS.

Is eſt vel *Autumnalis, vel Vernus.* Neuter ſtaminũ cauſa, ſed ſolius oblectationis ergo colitur, alioquin inutilis.

AUTUMNALIS.

III. *Crocus ſpurius; montanus; ſylveſtris: flore dilutius purpuraſcente.*
IV. *Idem flore violaceo.*
V. *Crocus ſylv. autum: Conſtãtinopolitanus flore albo,* qui poſt purpuraſcit aliquantũ.
VI. *Croc. ſyl. Pyrenæus flore obſcurè violaceo, majore.*

VERNUS.

Eſt vel *latifolius*; vel *anguſtifolius.*

SYLV. VERNUS LATIFOLIUS.

VII. *Crocus floribus albis totis.*
VIII. *Idem floribus albis ſtriatis.*
IX. *Croc. vernus floribus albis ſtriatis.*
X. *Idem flore magno purpureo.*
XI. *Idem flore purpureo magno ſtriato.*
XII. *Crocus vernus flore albo verſicolore.*
XIII. *Idem flore purpureo verſicolore.*
XIV. *Croc. ſylv. vern. flore flavo, eoq; vel aureo; vel calendulato, vel ſpiceo.*
XV. *Idem flore flavo, nigro purpureis lineolis interpolato.*

SYLV. VERN. ANGUSTIFOLIUS.

XVI. *Crocus flore albo, magno.*
XVII. *Idem flore albo, parvo.*
XVIII. *Idem flore albo variegato.*
XIX. *Croc. vern. ſyl. flore purpureo.*
XX. *Idem flore purpureo variegato.*
XXI. *Idem flore flavo.*
XXII. *Idem flore flavo variegato.*

IV. VIRES ET USUS.

CRoci commoda & uſus enarraturus, præmoneo, me hîc intellectum velle illam vocis ſignificationem, quam feci ordine quintam, dum Crocus denotat ſtamina medio flori inhærentia.

In re familiari: vix ullus eſt telluris habitatus angulus, ubi non ſit croci quotidiana uſurpatio, aſperſi vel incocti cibis, naturæ craſſę & viſcoſæ. Proficuum vero eſt crocum, & culinis amicum, non ſolum odoris ſaporisq; merito, ſed etiam quia cor exhilarat, ciborum pravitatem corrigit, iiſq; ſingularem gratiam conciliat.

De hilaritudine in pectus concitanda, à croci eſu, res eſt apud Medicos, & Botanicos celebratiſſima, apud quos experimento comprobatum eſt, *drachmas* circiter *tres*, cum vino hauſtas, tanta *lætitia* homines perfundere, ut ijs contingat nimio riſu exſolvi, ebriis ſimiles reddi, ſæpè etiam dejici de bona mente, & ridendo aut finire vitam, aut vehementer periclitari. *Amatus Luſitanus* citat ad Teſtimonium exemplum Mercatoris, qui plus nimio aſſumens, tam profusè in riſum ſolutus eſt, ut ferè illi præ cachinno rupta fuerint Ilia: *Idemq;* ſcribit ſe obſervaſſe in alio, qui ſacco croci pleno indormierat. Hoc eſt quod *Galenus* annotavit *Lib.* II. *Med. Loc.* Crocum caput opplere, & perturbare arcem rationis. Eoq; fundamento correxit antiquam compoſitionem Hieræ, in quam aſſumta erat nimia croci copia; cui proinde aliquid dextraxit.

Hybernicæ mulieres, (quo loco copioſus eſt croci proventus,) induſia ſua tingunt Croco, tum ut defendantur, ſerventurq; immunia à pediculis, tum ut robur membris inde accedat: tum ut animus alacritate donetur: Solent & Viri juvenes Crocum ore maſticatum aliquamdiu continere, ut odore ejus, & exhalatione anima inficiatur: Tum quam ſuſpectam habent fœminam de fucata & ceruſſata facie, eam ſpiritu ſuo afflant, faciuntq; extemplo palleſcere, & emendicatam pulchritudinem cum pudore fateri. Idem præſtant Caryophylli maſticati.

IN RE MEDICA. Donatum eſt à natura Crocum virtute calefaciendi, exſiccandi, diſſipandi, aperiendi poros, roborandi, coquendi, dirigendi, emolliendi, tam foris applicatum, quam intus aſſumptum.

Foris. Aranearum & ſcorpionum morſibus impoſitum medetur.

Paratur exinde in Pharmacopolijs unguentum, *Oxycroceum*, cujus uſus ad *emolliendam duritiem*, ad diſcutiendos *articulorū dolores*, eoſq; qui ſunt circum membranas oſſium. Paratur & *Oleum* ex Croco, per infuſionem, ad *Nervorum* dolores & duritiem. In eoſdem uſus ingreditur *Crocus* compoſitionem *Cerati ex Oeſypo*, ad *tumores Lienis* duros; *Emplaſtri ex Cymino*, ad reſolutionem *livoris* ſub cute. Additur idem *Oleo lil. alb.* ad diſſipandos *dolores* à frigida materia.

Crocus comminutus in pulverem, impoſitus manuum arterijs ad carpum, vel regioni ſubmammariæ, vires ſuas mox tranſmittit ad cor, ad cerebrum, quod ex vertigine capitis, & oculorum obſcuritate ſubſequâ, cognoſcitur.

Cum *lacte Muliebri oculis* inſtillatum Crocum, avertit ab ijs *fluxiones*. Remedium in Variolis ac Morbillis familiare ac tutū: quæ hac ratione ne oculos invadant prohibentur. Ejus jā olim meminit *Dioſc. l.* 1. *c.* 25. ῥεῦμα ὀφθαλμῶν ἐπιχεόμενον στέλλει σὺν γάλακτι. Addit ibidem *Dioſc.* Crocum eſſe ἀκραιπάλον, *Crapulam diſſipare*: cum tamen in confeſſo ſit, caput ab ejus uſu immodico vehementer & gravari, & ſomnū induci. Plæriq; eos affectus aſcribunt facultati aſtringenti, & repellenti, quo [sic] Crocum donaſſe videtur ipſe *Dioſc.* inquiens, ἔχει δύναμιν ὑποστύφουσαν. Sed adſtringentia, quæ per ſe, & primo talia ſunt, quæq; repellendi vim acceperunt, cum naturæ ferè ſint frigidæ; Crocus autem calidus; qua de cauſa perhibetur à *Dioſc.* ἔχειν δύναμιν πεπτικὴν, μαλακτικὴν, οὐρητικήν? [sic] non poterunt certè illi effectus proficiſci à Virtute aſtrictoriâ, aut repulſivâ.

Malim ego aſſeverare, quod *oculos* Crocus liberet *à fluxionibus*, non repellendo, ſed atte-

attenuando, dum tunicarum poros patulos & perſpirabiles reddit vi calfaciente: Dum vapores diſſipat, reſolvit, in auras ire facit. Eandemq; ob cauſam *crapulæ* pellendæ adhibetur, diſſipando vapores & fuligines Vini. *Dioſcorides* igitur Crocum ἀκραίπαλον appellavit ex accidenti, non per ſe. Per ſe & ſua natura Crocus caput gravat fumis: Per accidens eosdem reſolvit. Per ſe digerit, aperit: per accidens repellit.

Interius. Fœminis ad *Partitudinem ſe accingentibus*, quæq; laborioſè gignunt, Croci pulvis, aut extractum cũ ſaccaro in vini calidi hauſtu, propinatur optato adjuvamine.

Quibus τὰ μήνια ſubſtiterunt, neque fluunt tempori, etiam his proficuè Crocum hauriendum præminiſtratur.

In *pectoris affectibus* citra febrim, inprimis *aſthmate*, ſumme commendatur Crocus: Uſusq; ejus ſaluberrimus his, qui *frigore nimio* perculſi difficulter reſpirant: Itẽq; *tuſſientibus* & vel maximè *Phthiſicis*: quibus jam morti vicinis, ſpiritum, vitamq; aliquantulum protollit. Hac fine *Electuarijs*, *Trochiſcis* alijsq; medicamentis cõpoſitis admiſcetur, qualia ſunt *Elect. Diacod. Elect. Dianiſi. De papav. de Farfara. Elect. Analepticũ* ſeu Reſtaurans *Fernelij. Pilulæ ex Croco* celebres in abolẽda *Vocis raucedine*, & corrigenda gutturis aſperitate.

Ob præſentem facultatem corroborandi, & defendendi cor, Spiritus refocillandi, admiſcetur Crocum Compoſitioni ſequentium Pharmacorum.

Elect. Aromat. Roſat.   *Elect. Liberant.*
De Gemmis   *Ducis.*
Diarrhod. Ablat.   *Pulv. Card. Nicol.*
Διακρόκȣ.   *Trochiſ. de Berb.*
Lætifican. R. Sal.   *Pilul. aleophang.*
contra peſtem.

Ad incidendum, detergendum, abſumendum, digerendum aſſumitur in ſequentibus.

Elect. Dialaccha.   *Pillul. Stomach.*
Hiera picr.   *Lucis major.*
Bened. Laxat.   *de Eupator.*
Trochiſ. Diarrhod.

Pro deducendâ vi cæterorum ingredientium, ad partes principes, tenuitate ſua, uſus ejus eſt in *Elect. Diamoſ. dulc.*   *Diamarg. frigid.*
Trochiſc. de Caphura.

Ut defendat Cor contra vim malignam purgantium, aut opij, aut ut hæc corrigat, ingreditur compoſitionem

Hieræ compoſ.   *Pilul. aurear.*
Hieræ de Colocynth.   *de Cynogloſſ.*
Philonij.   *de Hermodact. maj.*
Elect. Diaſenæ.   *Fœtid. major.*
Trochiſ. de carab.

Et quas Antidotos primo omnium nominare me oportuiſſet, eſt quoque Crocum unum ex ingredientibus, quæ abſolvunt compoſitionem *Theriacæ*, & *Mithridatij*. itemque *Trochiſcorum Hedichroi*: pro Theriaca: & *Troch. Cypheos* pro Mithridatio.

Hæc de *Croco vero*. Croci ſylveſtris anguſtifolij virtutes à nemine cognitas deſcriptasq; memini. Bulbos verò ſylveſtris latifolij, utiliter uſurpari ajunt, ſcroto impoſitos, ad eliciendam urinam; & in hydrope, ad evacuandam aquam intercutem.

V. CULTURA.

VErus Crocus, (ſylveſtris non poſtulat magnâ cura curari, ſatis ſua ſponte luxurians) ſolum amat neq; udum, neq; compactum, neq; ſtercoratum nimis: ſed leve, ſubactum, ſolis radijs verberatum, liberum ab aquarum profluvio. Scribunt felicius provenire in ea terra, quæ cepis ante conſita fuit, quod experiri nondum potui. Id ſcio, quod unice deſideret runcari & diligenter liberari ab inutilibus herbis & lapillis. Vidi in Aquitaniâ integra jugera, feracia crocorum, haut minori diligentia purgari à zizanijs, aliquoties per æſtatem, quam noſtrates ſolent linum ſuum.

Ex *ſemine* difficilior & tardior eſt ejus proventus. Commode & proprie per *bulboſas* excreſcentias propagatur. Æque enim Croci bulbi, ac cæteri, novella ſobole quotannis luxuriant. Eximendi ſunt bulbi è terra poſtquam defloruerunt, circa Autumnũ. Relinquendi per dimidium Menſem, aut aliquanto diutius, in conclavi, nulla terra involuti, procul à radijs ſolaribus, ut matureſcant plenius. Hîc ſolent (quod mihi ſæpè uſu venit) pulchrè florere, inprimis ſi de laqueari ſuſpendantur. Dehinc plantandi iterum per ſulcos æquales, interſtitio palmi unius, poſitis ſeorſim majoribus bulbis: ſeorſim item minoribus.

Alij malunt eximere è terra menſe Martio, & relinquere in Autumnum uſque in aëre. Tum replantant, & flores exſpectant ſequenti anno. Defoſſis profunditate dimidij palmi, commode inducitur terra, adminiculo raſtri. Ita relinqui poſſunt integrum triennium; neq; opus fuerit transplantare: quo tempore exacto, liberare eos oportet bulboſa ſobole novellâ, matribus adnata.

Quamprimum bulbi Croci maturum florem alunt & oſtentant, (quod fit Autumno) ſtamina è medio florum evellenda ſunt, oriente, aut occidente ſole, imponendaq;, dum colliguntur, vel papyro, vel nitido linteamini.

Tum liberanda ab omni immunditie: ſervanda loco ſalubri immuni à vento, pulveribus, Sole.

VI. COROLLARIUM.

PLantam hanc, nomenclaturam ſuam conquiſiviſſe à Juvene quodam, qui per metamorphoſin in eam ſit mutatus, fabulantur Botanici noſtri; & hujus figmenti autores *Virgilium* & *Plinium* adducunt.

Virgilio primò fecere injuriam, apud quem nihil hujuſmodi invenitur, & ſemel ſaltem in univerſis illius operibus expreſſa videtur Vocula Crocus, Verſu illo quem ſupra adduxi ex *l.4.Georg.*

Caſeamque crocumque rubentem.

(per ruborem intelligit colorem aureum, qui mos loquẽdi familiaris eſt Poetis: ſicuti Sophocles Crocum vocavit χρυσαυγῆ.) Porrò *Plinius* quidem *lib.16. cap.35.* ſcripſit de

Smilace,

Smilace, quod ſit frutex lugubris; Virgine ejus nominis, propter amorem juvenis Croci mutata in hanc fruticem. At non ait *Plin.* adoleſcentem Crocum, in florem cognominem mutatum; ſed puellam ſaltem Smilacem in fruticem.

Sed nec *Homerum* (qui teſte *Plin.l.21.c.7.* hos tres flores laudavit, Lotum, Crocum, Hyacinthum,) quantum perveſtigare potui quidquam de hac *μεταμορφώσει* memoriæ prodidiſſe invenio.

Unus *Ovid.* transformationum curioſus propalator, unico Verſiculo digitum intendit in eam fabulam *l.4.Metam.fab.4.*

Et Crocon in parvos verſum cum Smilace flores.

Quo pacto autem res peracta ſit, nuſpiam indicavit. Verus & laudabilis Crocus noſcitur his argumentis. Si 1. fuerit pinguis. 2. Si manu comprehenſus crepitare ſentiatur. 3. Si liquori injectus diſſolvatur protenus, & liquorem tingat. 4. Si manibus contrectatus oculisque admotus, eos aliquantum mordeat. 5. Si fuerit coloris aurei. 6. Si odore acri feriat nares.

Adulteratur ſtaminibus Carthami adjectis. Pondus illius augetur, quum vel vino irroratur, vel ſuſpenſum noctu tenetur in aëre putei.

Noſtrates matresfamilias, ut Crocum tuto & proficuè ſervent, redactum in pulverem, commiſcent cum pauxillo mellis, & ſic reponunt. Uſurpaturæ ſumunt particulam illius mellis, & cibis addunt ſolutum in juſculo.

Croci extat in ſacris mentio; *In Cantico c.4. verſ.14.*

CAPUT

CAPUT VII.

DENS CANINUS.



I. NOMEN.

DENS *Canis, vel Caninus.*
Auſtriacis, *Cluſio* teſte, *Dentali.*
Satyrium Erythronium δίφυλλον, τρίφυλλον.
Hermodactylus longus Meſuæ.
Pſeudo Hermodactylus Matthiol.

Aliqui *Ephemerum* eſſe volunt; aliqui negant; quibus diſputare quantum volent permittimus. Germ. Schoßwurtz/Rohtſtendelwurtz.

II. DIFFERENTIÆ.

NON agnoſcit alias Varietates, præterquam quæ ſunt in florum colore. Eſt aut rubro, ſeu purpureo, aut albo flore.

III. SPECIES.

I. *Dens Caninus flore purpuraſcente.*
II. *Idem flore candido.*

IV. VIRES ET USUS.

MEDICI *Lugdunenſes* in Gallia diu uſi ſunt bulbis conditis Dentis canini, loco ſatyrii veri. Neque negari poteſt, magnam vim iis ineſſe excitandæ Veneris.

Quin & ſapidè præparati ſatis bene creduntur nutrire corpora.

Bulbi exſiccati redacti in pulverem, inſperſique pulticulæ, puerorum lumbricos necant, & ab his ortam Epilepſiam tollunt.

Idem pulvis cum vino calido uſurpatus, dolori colico medetur.

V. CULTURA.

NON indiget peculiari cura, ſed ita haberi vult, uti bulboſa cætera.

CAPVT VIII.

GAVIANA ſeu FRITILLARIA.



I. NOMEN.

F*Ritillariæ* nomen, neque Latinum eſt, neque ab ullo Veterum elegantium ſcriptorum uſurpatum, ſed nudius tertius aut quartus effictum, à neſcio quo plantarum cultore, qui cum videret florem hunc pluſculis figuris, adinſtar quadratarum areolarum, obſcure purpuraſcentibus pingi ad effigiem tabulæ illius, in quo ludus ſcachiorum ludi ſolet, putaretque eam tabulam antiquis Fritillum fuiſſe dictam, cæpit ducta exinde ſimilitudine hunc Florem appellare Fritillariam. At verò non parum deceptus fuit vocis abuſu.

Antiquis *Fritillus* non erat tabula, quadratus hujusmodi areolis interpuncta, ſed Vaſculum quoddam, in quod primum indebantur teſſeræ, ubi aliquamdiu agitatæ poſt mittebantur in alveolum. Dictusq; fuit fritillus, non à colore, aut punctis variegatis, ſed vel *à ſono,* quem in eo jactatæ teſſeræ faciunt, vel quia per eum teſſeræ *feruntur. Martialis:*

Dum blanda vagus alea December
Incertis ſonat hinc & illinc fritillis.

Hinc æſtimare licet quam ſtabili fundamento plantæ huic nomenclatura Fritillariæ aſſcribatur, non à Latinis ſolum, ſed & Germanis; quibus eſt Fritillary/& corrupte Fleutellary. Alii malunt nominare *florem Meleagridem* ab alitibus ejus nominis, (ſunt perdices Africanæ, vel Gallinæ Mauræ, de quibus *Ariſt.lib.hiſt.an.c.2. Plin.l.10.c.26.Varro R:R.l.3.Columell.l.8.c.2.*) quarum non ſolum plumas, (quod autores hujus appellationis indicarunt) macularum magnitudine, & varietate, floſculus hic repræſentat, quamvis non eadem coloris ſpecie, ſed etiam ova ſimilibus picturis variegata. *Ariſt.d.l.* τῶν δὲ ὠῶν τὰ μὲν κατεστιγμένα οἷον τὰ τῶν μελεαγρίδων καὶ φασιανῶν.

Cæterum cum *Meleagridum ova maculoſa* his regionibus ſeu prorſus ignota, ſeu infrequentia admodum ſint, illorum loco nobis eſſe poterunt ova Gaviarum Cinerearum, quas nos Saxones indigetamus die Kyſite. Ea ova punctis ſuis luridis ad vivum exprimunt ideam floris hujus purpuraſcentis. Itaq; non procul ablucinabimur, ſi Latinè eum dixerimus *Florem Gavianum,* eodem uſi jure, quo Belgæ, qui eum appellant Kivits-blomen.

Hujus appellationis ratio, tametſi non ita expreſsè competat ei, cujus color candidus viſitur, obſcuris ſaltem macularum veſtigiis notatus, nihilominus donari poterit nomen toti ſpeciei; partim quia purpuraſcens, maculoſus, primo omnium agnitus cultusque, quia frequenter & paſſim obvius: partim quia id non eſt infrequens in aliarum etiam Plantarum appellationibus. Leucoion ab albedine dictum ſcimus. Tamen & Luteus flos hoc nomine inſignitur. Iris ab arcu Cæleſti multicolore. Tamen & candidus flos idem retinet nomen. Sunt deniq; qui *Narciſſi* Titulum ei attribuunt, cum additamento *Capperonii* (à Natali Capperonio primo ejus cultore.) Aliis eſt *Lilio-Narciſſus purpureus variegatus.* Geſcheckte Narciſſen-Lilien.

II. DIFFERENTIÆ.

I. A *Colore:* Gaviana alia purpurea, alia alba, lutea, Variegata. In quibusdam quadrati Rhombuli obſcurius purpuraſcunt. In aliis ſunt dilutiores. Ex ſemine natis inſigniter livent.

II. *A Floris magnitudine:* Major, minor, ſimplex, pleniflora, triceps, umbellifera.

III. *A Tempore:* præcox, ſerotina.

IV. *A Loco natali:* Aquitanica, Luſitanica, Pyrenæa.

III. SPECIES.

GAVIANÆ VERNÆ.

I. G*Aviana Communis:* purpuraſcens: variegata: Fritillaria, fritillans; vel fritillata nugatoribus quibusdam.

II. *Gaviana flore flavo, rombulis ruffis.*

III. *Gaviana flore toto albo, puro ab omnibus maculis, foliolis largiſſimis, & craſſiſſimis.* Rarior. Promptius cæteris omnibus ſe propagat.

IV. *Eadem alba punctulis purpureis hinc inde conſperſa.*

V. *Eadem alba lineis aut Ariis oblongis purpureis.*

VI. *Eadem alba leniter variegata, flore non propendulo deorſum,* ut cæteræ, *ſed erecto inſtar Tulipæ.*

VII. *Gaviana alba variegata flore pleno;* in quo foliola ſæpe XII. usq; ad XXXII.

VIII. *Gaviana Luſitanica nova*, cujus flos purpureus, vix pollicis craſſitiem æquat longitudine, maculis pictus.

IX. *Gaviana umbellifera,* exornata VII. aut VIII. floſculis in cuſpide caulis, inſtar coronæ Imperialis.

X. *Gaviana triceps:* unus flos compoſitus ex ternis floribus juxta ſe poſitis, & arctè unitis.

XI. *Gaviana Ramoſa, maxima, purpurea;* pluſculis caulibus, & floribus.

GAVIANÆ SEROTINÆ.

XII. *Gaviana Aquitanica,* duobus menſibus quam cęteræ tardius florens, instructa plerumque duobus floribus, coloris flavo-viridis, ſine omnibus maculis.

XIII. *Gaviana ſerotina atro-purpurea ſaturatior.*

XIV. *Gaviana Pyrenæa ſeu Burdegalenſis*, è montibus allata primum, pumila, flore minore, coloris viridi-cinerei, odoris gravis, & ingrati.

IV. VIRES ET USUS.

QVOD in Archithyrſi hiſtoria nuper conqueſtus fui, eandem hic itero cantilenam. Nondum mundo innotuerunt poteſtates pulcherrimæ hujus Plantæ, abs qua nihil aliud exſpectant horticultores, quam ut ejus floribus areolas ſuas reddant illuſtriores, Floram que ornatiorem & auctiorem.

Uni-

Unicum mihi experimentum narratum eſt à nobili viro, rerum Chemicarum perito. Flores Gavianæ purpuraſcentis maculoſæ deſtillati, aquam largiuntur, cujus vis efficax in tollendis maculis faciei, & manuum à ſole inuſtis, externa ſignatura hanc facultatem quaſi monſtrante. Illud certum eſt, ova Gaviarum, abs quibus flos iſte nomen gerit, & quæ quoad colorem æmulatur, eadem Virtute pollere. Coquuntur ad duritiem; Abjecto luteo, albumen conſciſſum, deſtillatur & elicitur aqua. Teſta redigitur in cinerem. Aqua iſthæc cineribus his affuſa, donec ſalem imbiberit, valida eſt in tollendis maculis quas dixi, à ſole conciliatis faciei.

V. CULTURA.

SPonte ſua, ut cæteri flores campeſtres, Gaviana in multis Galliæ provinciis naſcitur, in agro Aurelianenſi, Guiennenſi: itemque circa Rupellas, *(entre Rochelle & Niort)* & in montibus Pyrenæis. Apud nos nuſpiam provenit niſi in hortis.

Solum amat nullo quidem fimo ſaturatum, ſed ſubactum & leve. Neque enim ullam ſingularem curam, aut culturam poſtulat.

Hyemis frigus æquè tolerat innoxiè ac Archithyrſus, aut Tulipæ. Sed tamen bulbi ſunt naturæ tenuioris quam Tuliparum, neque ultra X. aut XII. dies relinqui poſſunt in aëre, extra terram, circa Jacobi Feſtum. (quo tempore bulbos plærosque è terra eximi diximus:) ſed ocius remitti deſiderant. Propagatur Gaviana partim *ſemine*, partim *bulboſis appendicibus*. *Semen* per integrum fere triennium terrâ ſepultum jacet, antequam vel leviſſimo germine ſe prodat: adeoq; abs bulbis è ſemine prognatis, ante ſeptimum aut octavum annum noli expectare flores, qui etiam magnam partem dilutioris ſunt coloris, & pluſculum abeunt à parentum ſuorum nobilitate.

VI. COROLLARIUM.

GAvianæ flos communiter ſenis conſtat foliolis. Interdum octonis, denis, imo XIV. XVIII. Prout plantatur ſolo fertili, aut macro, ita etiam foliolis pluribus, aut paucioribus exornatur flos; ſed qui ultra decem foliis luxuriat, raro diutius uno anno ſervat eam copiam; reditque mox ad vulgarem ſimplicitatem.

CAPVT. IX.

GLADIOLUS.



I. NOMEN.

GLadioli appellatio antiqua eſt, comparata ad Exemplum Græcorum, qui hanc plantam vocarunt ξιφίον, μαχαιρόνιον, eodemq; ſenſu Latinis dicitur *Enſis Enſiculus*. *Germ.* Schwertelwurtz/Ackerſchwertell: nimirum à forma foliorum, machæram repræſentantium.

Valerius Cordus, attribuit ei nomen *Victorialis fœminæ*, aut *rotundæ*: Rundſigwurtz/Allmannßharniſch: ad diſcrimen *Victorialis longæ*, cujus *Alpes* feraces perhibentur.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A florum ſitu, numero*, aut *magnitudine*, alius gladiolus unam habet florum ſeriem, alius geminam. Unus florem majorem, alter minorem.

II. *A colore*: purpureus, rubellus, albus.

III. *A loco natali*: Bizantinus; Indicus.

IV. *A foliis*: anguſtifolius, latifolius.

III. SPECIES.

I. *Gladiolus purpureus, florum uno ordine* μονόστιχος. *Vulgaris, Verus, Sylveſtris, Narbonenſis*.

II. *Gladiolus* δίστιχος, gemina florum ſerie alternatim poſita: *Vtrinq; floridus*: *Italicus purpureo violaceus*.

III. *Gladiolus floribus incarnatis, Hiſpanicus*: *rarior*.

IV. *Gladiolus atropurpureus*: *Bizantinus*.

V. *Gladiolus albicans, rarior*.

VI. *Gladiolus niveus candidus, rariſſimus*.

VII. *Gladiolus minor Auſtriacus, flore minuſculo, rubello*.

VIII. *Glad. ex Candia*; flore adeo ſcintillante, & rubeo, ut nihil ſit reperire ſimile aut ſecundum. Evulſa planta cum bulbo ſuo, & tribus foliolis, quibus conſtat, inſtar ſagittæ projici poteſt per aërem.

IX. *Gladiolus anguſtifolius, Gallicus*.

X. *Gladiolus maximus, Promontorii* Εὐέλπιδος, ſeu Bonæ ſpei.

IV. VIRES ET USUS.

CUlinæ nihil commodi confert Gladiolus. Adverſus ægritudines, tam *foris*, quam *intus* uſurpatur.

Foris. In pulverem redactus Bulbus, & inſperſus, *ſanguinem* ſiſtit.

Cum Amylo (inepte alii *Amomum*, vel *Cinnamomum* legunt ex *Apulejo*) aceto & adipe vulpino, idem pulvis commixtus, efficaciſſimè ſanat *fiſtulas, ulceraque manantia*. Vix uſpiam planta eſt tantæ poteſtatis in emolliendis, diſcutiendisq; tumoribus, ſcrofulis, &c. quam Gladioli bulbus, foris impoſitus cum adipe porcino.

Internè. Corticis de bulbo detracti uſus eſt ad *calculum, difficultatem urinæ*, dolores *colicos, apoſtemata* interiora, *hernias* puerorum, &c.

V. CULTURA.

NOn expoſcit peculiarem curam Gladiolus; ſed volenter, & ſpecioſè provenit, ſi ei detur ſolum leve, ſubactum: non lapidoſum, durum, aut denſum. In ſole item commorari amat, procul à locis umbraticis.

CAPUT X.

HERMODACTYLUS.

I. NOMEN.

HErmodactyli vox ignota eſt *Hipp. Galen. Dioſc. Theopr.* cæterisque probatis Medicis & Botanicis. *P. Ægineta, Serapio,* aliique *Mauritani* primam ejus fecerunt mentionem, quaſi dicas *digitos Mercurii.*

II. III. DIFFERENT. ET SPECIES.

NUllas novi Hermodactylorum vel differentias vel ſpecies. Id loco differentiarum pono, quod Authores vehementer differant & diffideant invicem qualisnam revera planta ſit Hermodactylus?

1. *Actuarius,* & *Myrepſus* per Hermodactylum intelligunt Behen, aliumque faciunt album, alium rubrum, quotuplex & ipſum Behen eſt: Id liquet ex deſcriptione *Aureæ Alexandrinæ,* apud *Myrepſum:* & *Dianethi,* apud *Actuarium.*

2. Hermodactylos hodie Pharmacopolæ non alios agnoſcunt, quam *Bulbos Colchici.* de quo *c.* 4. quos pro Hermod. vendunt, non ſine præſenti pernicie uſurpantium. Hi ab Arabibus perhibentur aquas ducere, & ſalutares eſſe Arthriticis. Colchicum vero ſtrangulando necat, haut ſecus ac venenati fungi. *Braſavola Exam. purg.* ſcribit *ſe vulgarem iſtum Hermodactylum aliquando deguſtaſſe, & perſenſiſſe in gutture* (verba ſunt illius) *ac ſi eſſet manus quædam, quæ fauces in illis partibus conſtringeret.*

3. *Matthiolus* conjectatur Hermodactylum eſſe palmam Chriſti, adductus figura digitorum. Nihilominus poſt faſſus eſt, verum Hermod. multo eſſe alium, aliquemque ſibi dono datum Bizantii.

4. Hermodactylus qualis ab *Aetio & Serapione* eſt deſcriptus, peculiaris fuit planta. Qualis vero revera ſit, hodie fere neſcitur. Itali quidam Seplaſiarii ex Græcia allatum Hermodactylum verum uſurpant, indeque parant ſuas de *Hermodactylo pilulas.*

IV. VIRES ET USUS.

FOris. Radices Hermod. cum lacte, luteo ovi, farina hordeacea, & mica panis triticei, *Eryſipelati* cito & tuto mederi dicuntur. *Intus* Mauritani illis vires attribuunt purgandi, & trahendi pituitam à juncturis, unde *podagræ* omniq; Arthritidi conveniunt. *Ægineta* tamen fatetur ventriculo non parum noxios eſſe.

In Pharmacopoliis paratæ proſtant *Pilulæ de Hermodactylo,* utiles ad juncturarum affectus, quibus ſi quis minori incommodo uti velit, adjicere poterit aliquid Zinziberis, Cinnamomi, aniſi, piperis longi, maſtiches.

Parantur etiam *Trochiſc. de Hermodactylo* ſimiliter uſurpandi.

CAPVT XI.

HYACINTHUS.



I. NOMEN.

HYacinthi nomen πολυώνυμον eſt, legiturq; attributum, 1. Puero in florem cōmutato; de quo in *Coroll.*

2. Lapidi precioſo, cujus color violaceus, Violenbraun / ſimilis florī hyacintho, de quo *Plin. l.37.c.9.* & paſſim in ſacris litteris.

3. Concrete *in Sacris* Hyacinthus ſumitur pro filamento, tincto colore hyacinthino, ſeu lana ſit, ſeu ſericum vt *Exod. c.25. & ſeqq. Levit. c. 8. Num. c. 4. Cant. c.5. Eccleſ. c. 40. & 45. Jerem. c. 10. &c.* quibus locis ferè conjunguntur Hyacinthus, purpura, & coccinum. Ubi *Germ.* verſio habet gelb Schärlacken / vnd Roſinfarb: Rectene an ſecus, inquiremus in *Corollario.*

4. Hyacinthus *Plantarum* nomen eſt, capitur communiter & indiſtinctè pro diverſis floribus. *Palladius lib.1.c.37. Iridem* vocavit Hyacinthum. *Hyacinthum*, inquiens, *qui Iris vel gladiolus foliorum ſimilitudine dicitur. Columell. l. 10. c.4.* de paſtione apū agens, & quibus floribus præcipuè gaudeant, inter cætera enumerat Hyacinthum cæleſtis numinis. Intelligit eandem quam *Palladius Iridem* dixerat. Iris enim credita eſt cæleſte numen, & nuntia Junonis. *Vitruvius l.7. Architect.* de coloribus agens, ſic ſcripſit: *Eadem ratione pictores Vaccinium temperantes, & lac miſcentes, purpuram faciunt elegantem. Vaccinium hic eſt Hyacinthus*, ut poſt explicabo. Purpura verò illa elegans, de qua *Vitruv.* non aliunde à pictoribus paratur, quàm ex Iride cœrulea. Iris igitur *Vitruv.* eſt Hyacinthus. Ita hodie in agro Florentino & plebs, & officinæ, Iridem adhuc dum appellant Hyacinthulum.

5. Deniq; maximè *propriè*, & ſtrictè Hyacinthi vox tribuitur flori, vel potius totī plantæ bulboſæ, ferenti florem Hyacinthum, de qua præſens commentatio.

Græcis eſt, *ὁ καὶ ἡ ὑάκινθος. Athæneo l.4. ὑακίνθις ἴδος.*

Hyacinthus non ſcriptus, ad differentiam Martagonis, quem vocant Hyacinthum ſcriptum, merito macularum quibus inſignitur. *Vaccinium quibusdam*: In Galliis certe hodie hic flos dicitur *Vaciet.*

Germ. Mertzblum / Meyblum / Jacynthen. Speciatim *Hyacinth. Comoſus* Belgis dicitur Quiſpel / gekronden / offt gekraußden Jacinth.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A colore florum.* Cœruleus, purpureus, carneus, albus.
II. *A ſerie & figura florum*; Comoſus, racemoſus, oblongus, ſtellaris, pleniflorus.
III. *A magnitudine*, major, minor.
IV. *A foliis*, latifolius, anguſtifolius, unifolius.
V. *A radice*, bulboſus, tuberoſus.
VI. *Ab odore*, ſuaveolens, inodorus.
VII. *A regione.* Noſtras, Anglicus, Orientalis, Indicus.
VIII. *A cultura*, domeſticus, ſylveſtris.
IX. *A tempore*; Vernus, Autumnalis,
X. *A proſapia.* Verus, ſeu genuinus, ſpurius.

III. SPE-

III. SPECIES.

Totus varietatum ambitus certis ordinibus includi poteſt. Nimirum quinq; ſunt Hyacinthi Species primariæ.

I. ORIENTALIS.
II. COMOSUS.
III. BOTRYOIDES.
IV. STELLARIS.
V. LONGIFLORUS. δολίχανθ☉.

I. HYACINTHUS ORIENTALIS.

Hic aut *Vernus* eſt, aut *Autumnalis*, aut *Brumalis*.

VERNUS.

I. *Hyacinthus præcox, major, Græcus, cœruleus, Conſtantinopolitanus.*

II. *Idem minor, purpureus.*

III. *Hyac. præcox; major; violaceus; πολυάνθης, multiflorus;* circum caulem utrinque floribus numeroſis (ſæpè 40.) inſtructus.

IV. *Hyacinthus præcox mixtus variegatus, floribus internis albis, averſâ parte purpureis.*

V. *Hyacinth. præcox. exalbidus, id eſt, ex albo dilutè rubens.*

VI. *Hyacinth. præcox plumbeus, floribus cinerea albedine.*

VII. *Hyacinth. orient. præcox; albus, argenteus, niveus; Zumbul Ind. Zemblecuder Turcarum.* Hujus plures varietates, pro candoris excellentia aut obſcuritate: Item pro foliorum latitudine aut anguſtia.

VIII. *Hyacinth. præcox, floribus reflexis; Violaceus; latè purpuraſcens.*

IX. *Hyacinthus præcox Aſiaticus; caule folioſo, φυλλοφόρ☉;* tardius florens præcedentibus, coloris quaſi viridis, aut ſubcœrulei, odoris ſuavis.

X. *Hyacinth. præcox, pleniflorus, cœruleus.*

XI. *Idem pleniflorus, candidus.*

XII. *Hyacinth. præcox prolifer: duplo flore, albo-vireſcens.* Color floris primum ſubviridis, poſt albo-violaceus, ſex foliorum, è quorum centro prognaſcitur floſculus alius, tribus albis foliolis inſtructus.

AUTUMNALIS.

XIII. *Hyacinth. ſerotinus mixtus.* Cuſpides florum albent; fundus rubet.

XIV. *Hyacinthus ſerotinus ſupinus; erectus:* floribus candidis ſurſum ſpectantibus.

XV. *Idem floribus cœruleis.*

XVI. *Hyacinth. ſerotinus ſtriatus, minimus; dilute cœruleus.*

BRUMALIS.

XVII. *Hyacinth. albus.* Per medias nives caput exſerit circa Decembrem: frigoris patiens. Flores ſuaveolentes initio habent violaceos apices: poſt aliquot ſeptimanas toti lacteſcunt.

II. HYACINTH. COMOSUS.

Eſt vel *præcox*, vel *ſerotinus*.

PRÆCOX.

XVIII. *Hyacinth. primus, maximus; purpureus, aut cœruleus; mas, ſylveſtris, ſpurius*; Neotericorum. *Bulbina Prima* Plinij, *Pancratium* Geſneri. πόθος Theophr. cenſente *Cæſalpino*. *Bulbus vomitorius* Lonicer. *Eſculentus* aliorum, *Bulbus ἁπλῶς* Græcorum, Anguill. Ital. *Cepa borina*.

XIX. *Hyacinthus major; albus; Leucanthemus; Belgicus; Anglicus.*

XX. *Idem flore rubello.*

XXI. *Hyacinth. Hiſpanicus; cæruleus; inodorus.*

XXII. *Idem floribus albis.*

XXIII. *Idem floribus rubris.*

Hi plerique omnes Hyacinthi comoſi, præcoces, folijs ſunt latioribus, coma craſſiore, bulbo majore. At qui ſequuntur, comoſi ſerotini, floribus quidem ſunt item majoribus, ſed folijs minoribus.

SEROTINUS.

XXIV. *Hyacinthus major & minor cæruleus.* Iisdem gaudet titulis, quibus Hyacinthus comoſus, Num. XVIII.

XXV. *Hyacinth. minor, albus.*

XXVI. *Idem rubellus.*

XXVII. *Hyacinthus minor Hiſpanicus, cæruleus.*

XXVIII. *Idem flore albo.*

XXIX. *Idem flore rubello.*

XXX. *Idem flore cinereo & pallido.*

XXXI. *Idem flore ſubviridi.*

III. HYACINTH. BOTRYOIDES.

Horum aliqui inodori ſunt, aliqui ſuaveolentes. Iſti ſimpliciter Hyacinthi Botryoides, vel Racemoſi: Hi *Dipcadi*, vel *Muſcari*, proprio nomine dicuntur.

INODORUS.

Eſt vel *latifolius*, vel juncifolius.

LATIFOLIUS.

XXXII. *Hyacinthus racemoſus, cæruleus, amænus. Vva racemoſa, major.*

XXXIII. *Idem minor cæruleus.*

XXXIV. *Hyacinthus racemoſus incarnatus.*

XXXV. Idem lacteus, niveus, major: modo puriore albedine, modo ad purpuram parum accedente. *Bulbus eſculentus* Fuchſij, Porcinus recentiorum.

XXXVI. Idem minor.

JUNCIFOLIUS.

XXXVII. *Hyac.cæruleus;vernus; Allium caninum exiguum* Tragi,*Pancratium II.* Dodon.*Bulbine*,flore cæruleo,Geſn.*Bulbus ſylveſt.coronarius.* Cæſalp.

ODORUS.

XXXVIII. *Hyac.racemoſus,moſchatus:magnus:purpureus:ceruleus:Hiſpanicus:flore obſoleto. Dipcadi*, vel *Tipcadi Chalcedonicum: Moſcoromi:Muſcorimi: Muſcari:* à ſuaviſſimo ambræ aut Moſci odore:Ital.*Moſco Greco.*

XXXIX.*Idem obſoleto albo flore.*

XL. *Idem Moſchatus flore luteo;vel aureo;Dipcadi flavum,Conſtant.Chalcedonicum.*

IV. HYACINTH. STELLARIS.

Triplex hic eſt,*Vernus,Aeſtivus,Autumnalis.*

VERNUS.

XLI. *Hyac.præcox.cæruleus:*(alias ſaturo magis colore:alias dilutiore.) *Martius:Minommas:Bifolius:Bulbus ſylveſt.vomitorius* Lonic.

XLII. *Hyac.præcox ſuaviter rubens.*

XLIII. *Idem exalbidus:cinereus:aut ſubceruleus.*

XLIV. *Idem flavus.*

XLV. *Idem ſtaminulis ex viridi luteis.*

XLVI. *Hyac.Byzantinus:tenuifolius:obſolete ceruleus.*

XLVII. *Hyac.minimus:vernus.*

XLVIII. *Hyac.λειριόφυλλος:lilifolius;liliaceus:flore ceruleo:violaceo:Radice& foliis lilio æmulis Aquitanicus:*Paſtorib. & Bubulcis aquitanicis *Sarahug.* Sterrekens van Guienne.

XLIX.*Idem flore niveo.*

ÆSTIVUS.

L. *Hyac.major purpureus.*

LI. *Idem minor floribus dilutioribus.*

LII. *Idem albus:niveus:candidus:δίφυλλος.*

LIII. *Hyac.cinericius,ſpicatus,exoticus,late depreſſa ſpica.*

LIV. *Hyac.ceruleus: violaceus: amœnus: bullatus: Bizantinus: latifolius: peregrinus:* pluribus caulibus ornatus.

LV. *Hyac.Porreti cæruleus.*

LVI. *Hyac.Peruvianus purpureus.*

AUTUMNALIS.

LVII. *Hyac.minor:anguſtifolius:blande purpureus.*

LVIII.*Idem rubellus.*

V. HYACINTH. LONGIFLORUS.

Alius eſt *præcox*,alius *ſerotinus.*

PRÆCOX.

LIX. *Hyac. dolichanthus major: Anglicus: Belgicus: non ſcriptus: flore cæruleo: cæſio: Amethiſto purpureo.*

LX. *Idem flore incarnato.*

LXI. *Idem flore candido.*

LXII. *Idem flore fuſco; Mauritanus.*

SEROTINUS.

LXIII. *Hyac. Dolichanthus maximus: Mauritanus: Æthiopicus: Hiſpanicus: flore obſoleto: ſpadiceo: ex viridi, cinereo, purpureo, flavo, mixtis.*

LXIV. *Idem flore albicante.*

LXV. *Idem flore rubello.*

LXVI. *Hyacinthus dolichus totus albus: floribus campanulæ, uno verſu diſpoſitis: campanella.*

LXVII. *Idem floribus campanulæ, utrimq; diſpoſitis, geminato florum ductu.*

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Princeps Hyacinthorum uſus ſpectatur in hortorum decore & elegantia augenda. Eorum aliquorum bulbos edules eſſe, Botanici ſcribunt: aliquorum ab eſu plane abdicant.

Comeſtioni forte apti ſunt Hyacinthi Orientales. At Botryoides, comoſi, ſtellares, (ea præcipuè ſpecies quam λειριόφυλλον vocavimus Num. XLVIII.) non ita commodè aut tuto in cibum aſſumunt. Enimvero, 1. de Botryoidum virtute & dotibus nondum quidquã innotuit. 2. de comoſis teſtatur *Cluſius*, inter omnia bulboſa, nihil quidquam à ſe deguſtatum, quod ventriculum excitarit ad tantam nauſeam, & vomendi proluvium quam bulbus Hyacinthi comoſi majoris. 3. Stellarem λειριόφυλλον, tam eſſe noxium ſciunt, & experiuntur indies paſtores Aquitaniæ, ut ſummoperè pecudem ab ejus eſu prohibeant; cui à bulbo iſto comeſto mox intumeſcit caput, eumque tumorem pari paſſu cita & indubia mors ſequitur. Itaq; coqui, & menſæ nihil commodi ab his expectare habent.

IN RE MEDICA. In Medicina non eſt uſus illorum omnino nullus.

Foris. Orientalis Hyacinthi bulbus, contuſus, & cum vino in Emplaſtri formã commixtus, *prohibet ne pilus* germinet in mento, maxillis, inguine, aut alibi partium.

Flores colore grato, & odore ſuavi, cordi cerebroq; addunt robur.

Intus. In ὑπερκαθάρσει, alijſque profluvijs alvi nimijs, præſens remedium præbet ſemen Hyacinthi Orientalis, ſi Theriacæ addatur, quoties ea utendum eſt.

Idem *ſemen* commendatur *in Ictero, urinæ difficultate*, & ad *morſus venenatorum animalium.*

V. CULTURA.

HYACINTHI ſolum deſiderant leve, ſubactum, apricum, non compactum aut lapidoſum. In hoc folia quidem proferunt, florem vero neutiquam. In iſto autem votis Hortulani ſatisfaciunt.

Propagantur duplici via, 1. per *ſemen*, 2. *per bulbulos* adnatos.

1. *Semen*

1. *Semen* quamprimum maturuit terræ commiſſum, tertio vel quarto anno largitur bulbos floriferos, ſed deſciſcentes plurimum à colore parentum. Neque enim albi ex albis; purpurei ex purpureis; ſed ex albis purpurei, ex his iſti prodeunt.

2. Compendioſior eſt via multiplicandi Hyacinthos, per adhærentes juvenculos bulbos, qui avulſi à matribus, & terræ impoſiti, brevi aggrandeſcunt, & flores largiuntur æmulos parentibus.

VI. COROLLARIUM.

DE *Hyacintho puero* vulgatiſſima eſt Fabula, deſcripta ab *Ovid.l.x.metam.* Hyac. puer Laconicus ſpecioſiſſimus, ab Apolline ſimul & Zephyro vento adamatus, cum magis Apollinis amore lætaretur, ob zelotypiam concitavit in ſe Zephyrum. Cum aliquando puer iſte diſco ſe exerceret cum Apolline, cæpit Zephyrus vehementius flare, diſcumq; ab Apolline in aërem conjectum, flatu ſuo transverſum egit, conjecitque in Hyacinthum, & hujus cervicem diffregit. Apollo in honorem & memoriam pueri, cruorem è vulnere elabentem convertit in florem cognominem.

Eodem l.x. memorat Poëta, in eundem florem Hyacinthum converſum etiam eſſe *Ajacem*, poſtquam is violentas manus ſibi intuliſſet. Res ita geſta eſt. *Ajax Telamonius* fortiſſimus Græcorum poſt Achillem, cum occiſi Achillis arma petijſſet; hæc verò Vlyſſes impetraſſet facundia ſua, & præripuiſſet à judicibus; Ajax irâ percitus, quæ mox in furorem permutata eſt, occidere cæpit pecora, credens ſe de Ulyſſe & hujus ſocijs ultionem ſumere. Demum ſeipſum ſuoipſius jugulavit gladio, de cujus cruore poſtmodum Hyacinthus crevit. Cæterum de ſuo flore Hyacintho *Ovidius* prodidit.

1. Quod quoties reducit

Ver hyemem, piſcique aries ſuccedit aquoſo,
Ipſe oritur toties, viridiq; in ceſpite floret.

2. Quod *Tyrio ſplendentior oſtro Exoritur.* ſeu ut in Ajacis Hiſtoria

rubefactaque ſanguine tellus,
Purpureum viridi generat de ceſpite florem.
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.

(Hyacinthus *Oebalius*, vel *Oebalides* cognomine dicitur.)

3. Quod formam accepit *quam lilia; ſi non Purpureus color huic, argenteus eſſet in illis.*

4. Quod Phœbus

Ipſe ſuos gemitus folijs inſcripſit: & aj aj
Flos habet inſcriptum, funeſtaq; littera ducta eſt.

In fabula Ajacis addit poëta, has literas *aj aj* de Hyacintho eſſe notam querelæ & luctus; de Ajace vero notam ipſius nominis Ajacis.

Littera communis (aj aj) *medijs, pueroque viroque,*
Inſcripta eſt folijs: hæc nominis: illa querelæ.

Nunc vero *quæritur, Hyacinthus Ovidij ſitne unus ex Hyacinthis hoc capite enumeratis?*

Non eſſe: ſed noſtros hos Hyacinthos, non quidem toto cælo, ſed tamen tota figura & Natura differre ab Hyacintho Ovidij, duo hæc argumento eſſe poſſunt.

1. Hya-

1. Hyacintho *Ovidiano* forma eſt Lilij juxta tertiam conditionem mox poſitam. Noſtrorum Hyacinthorum flores, tantum ſimilitudinis cum lilio indepti ſunt, quantum cum capra ovis. Loquor de flore. Nam & de illo *Ovidius*: alioquin folia & bulbum lilio æmulum agnoſcit Hyacinthus λειριόφυλλος, qui ordine XLVIII.

2. Hyacinthus Ovidianus inſcriptas gerit litteras ai ai. At in noſtris Hyacinthis qui aliquid inſcriptum viderit, eum oportet Lynce aut ſtrabone eſſe oculatiorem.

Non ſum neſcius, præclaros quoſdam Botanicos ſcriptis prodidiſſe, eam Lilii ſpeciem, quæ *Martagon* hodie dicitur, bono jure mereri nomen *Hyacinthi Ovidiani*, quippe cui & forma ſit Lilij, & inſcriptæ maculæ quædam, quo fine Martagon appellant Hyacinthum ſcriptum; Et noſtros hos Hyacinthos, non ſcriptos. Hanc ſententiam mihi dubiam & minus acceptabilem fecerunt hæ rationes.

1. Ovidius ſuum Hyacinthum dixit pictum eſſe, non maculis quibusdam luridis, aut nigris punctulis, nullam certam formam præ ſe ferentibus, quales ſpectantur in Martago, ſed litteris expreſſis aj, aj. Certe etiam *Theocr. Idyll.* 19. concepta voce vocat γράμματα. Νῦν Ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα.

Inſuper *Virgil. Ecloga* 3. Poſtquam de Phœbi muneribus cecinerat *Menalcas*,

Phœbo ſua ſemper apud me

Munera ſunt Lauri, & ſuave rubens Hyacinthus. Paulo poſt ænigma aliquod propoſuit, (in quo ſolvendo miris modis ſe macerarunt Interpretes.)

Dic quibus in terris, inſcripti Nomina Regum
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.

Intelligit hic Hyacinthum, cui nomen regis Ajacis, literæ ſcilicet ai, ai, expreſsè & conſpicuè inſcriptæ leguntur. Quibus v. in terris naſcantur hi flores quærẽs, innuit agrum Trojanum, eam partem Græcię, ubi quondam Troja fuit; Ubi locorum Aja ſeipſũ jugulavit; & ubi ex ejus occiſi ſanguine, Hyacinthorũ copioſa multitudo provenit.

2. *Ovidius* ſuum Hyacinthum florere ait menſe Martio, (cum *piſci aries ſuccedit aquoſo*) At Martagon ante Majum aut Junium vix quiſquam floridum conſpicabitur.

E quaternis illis conditionibus, Hyacintho attributis *ab Ovidio*, ſola forma Lilij obſtat. Alioquin affirmarem audacter *conſolidam regalem*, eam ſcilicet, cujus flos eſt purpureus, eſſe ipſummet Ovidij Hyacinthum.

Enimvero 1. Color illi purpureus. 2. Evidentiſſime & expreſſiſſime in flore hoc leguntur litteræ *aj aj.* 3. Eſt etiam primus inter Verni temporis flores. Sed ut faſſus ſum, prohibet figura, quæ nimis remota eſt à Lilij effigie.

Itaq; quis propriè ſit Hyacinthus Ovidianus, nondum dijudicare mihi licet.

Virgilius & Ovidius Hyacinthum donaverunt varijs titulis, vocaruntque *cæruleum, ferrugineum, ſuave rubentem, roſeum, purpureum.*

Cæruleus & *ferrugineus* color idem eſt, & talis, quali ſolent ſplendere violæ Martiæ, cœlumq; ipſum cum ſudum & ſerenum eſt. Ferrum etiam artificioſa manu politum, & deductum ad levorem, nitoremq; ſpeculis æmulum, ſi igni modicè incaleſcat, colorem induit violaceum, qui poetis ferrugineus eſt.

Haut ſecus *ſuave rubens* ac *roſeus* idem eſt color, quo aliquem Hyacinthum poeticum

cum exornari, velut aliquem cœruleo, dubium non eſt. Nam noſtrorum Hyacinthorum quidam cœruleus eſt, quidam ſuave rubens, quidam etiam candidus. *Purpureum* vero, nō ejusdem ſemper eſt ſignificationis, aut acceptionis, apud elegātes ſcriptores.

1. Καθολικῶς purpureum idem ſignificat quod *pulchrum*, elegans, formoſum. *Horatius* ita *Olores* vocavit *purpureos*, qui tamen ſunt candidiſſimi. Sic Poëtæ alij *nivem purpuream*. *Virgil. Ecl. 9. Ver purpureum.*

Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
Fundit humus flores.

Et Æneid. 1. —*Lumenq; Iuventæ*
Purpureum, & lætos oculis afflavit honores.

2. Purpureum eſt idem quod *rubens*, qualis ſolet matutina aurora illuceſcere, vel veſpere cælum purpurari, & ipſa quidem purpura ejus eſt coloris. *Ovid.* hoc ſenſu *genas* vocat *purpureas, labella purpurea, merum purpureum*. Neq; alia ratione *Homer.* ſanguinem ſcripſit purpureum, quod imitatus *Virgilius*, animam etiam fecit purpuream. *Æneid. 9.*

Purpuream vomit ille Animam, & cum ſanguine miſta
Vina refert moriens. Nimirum quia anima creditur repoſita eſſe in ſanguine.

3. Purpureum eſt idem quod *cæruleum*, aut *violaceum*, quali ſpecie & cælum, & cælo ſubjectum, atq; à cælo tinctum mare ſpectatur. *Virgil. lib. 4. Georg.*

In mare purpureum violentior influit amnis.

Triplici hoc intellectu Poëtæ Hyacinthum ſuum indigetarunt purpureum.

Hyacinthinus color ab Hyacintho cepit appellationē. A gemmâ ne? an ab hoc flore? perinde eſt. Satis eſt eundem eſſe, qui & violaceus, & ianthinus (ἴον, viola) Violenbraun/ quali tinctura conſpicuæ ſunt Violæ Martiæ, & qualis in Hyacintho flore & gemma elucet. In ſacro Codice multoties celebratur mentio & laus *Hyacinthini. Exod. c. 25. v. 4.* jubet Deus donaria ſibi afferri *hyacinthinam purpuram, & coccineam dibapham, & linū xylinū.* In Greco Codice eſt, ὑάκινθον, πορφύραν, κόκκινον διπλοῦν, καὶ βύσσον κεκλωσμένην. Germ. Verſio, gelbe Seiden/ Scharlack/ Roſinrot/ weiſſe Seiden. Eadē repetuntur *c. 26. v. 1. v. 31. v. 36. c. 27. v. 16. c. 28. v. 5. eodemq; libr. & ſeq complur. Lib. 2. paralip. ſeu Chron. c. 2. v. 7 Mitte mihi virum peritum operandi ex purpureo, & coccineo, & Hyacinthino:* Germ. verſ. So ſende mir nun einen weiſen Mann/ zu arbeiten/ auß Scharlacken/ roſinroth gelbe Seiden. *Ibid. c. 3. v. 14. Fecit quoq; velum Hyacinthinum, & purpureum, & coccineum, & byſſinum.* Germ. Er machte auch einen Vorhang/ von Gelwerck/ Scharlack/ roſinroth/ vnd Linwerck. *Ierem. c. 10. v. 9. Hyacinthinum & purpureum veſtimentum eorum,* Germ. gele Seiden/ vnnd Purpur zeucht man jhn an. *Apoc. c. 9. v. 7. Loricas Hyacinthinas,* Germ. gele Pantzer.

Talia ſunt ſexcenta loca, quibus Hyacinthinus, purpureus, & coccineus color celebratur; quæ omnia dum in Germanica verſione translata ſunt, gele Scharlack/ vnd roſinroth/, meherc'les, nimis ab ipſa rerum & colorum proprietate receſſum eſt.

Hyacinthinum 56. Locis in biblijs verſum legitur, gehle/ flavum; veluti purpureū, ſcharlack/ coccineum roſinroth: colorem v. Hyacinthinum, non eſſe flavum, ſed violaceum, qualis ineſt Hyacintho tam flori, quam gemmæ, violiſque Martijs, Violenbraun/ id non ſolum ex nomenclatoribus noſtris didicimus adoleſcentuli, ſed etiam unanimi

conſenſu ſcribunt & inculcant, omnes qui rerum naturas, proprietates; qui colorum ſpecies ac varietates profitentur.

Porrò etiam purpureum, à Scharlack/ nimium quantum differt. Eſt revera Scharlack & Roſinfarb (quæ Germ. Interp. ſeparavit, ceu diſtincta) unus idemq; color coccineus concinnatus à cocco baphico, ſeu tinctorio. Purpureum v. quid ſit, paulò ante oſtendimus. In ſacris & ille color, qui Germanis nobis Purpurfarb dicitur, quæ ſecunda eſt acceptio purpurei jamjam à nobis explicata.

Hyacinthino colore tingi, & olim & hodie conſueverunt ſericum, lana, goſſipiũ, linum; ex quibus poſtmodum tela texitur in varios uſus. In veteri Teſtamento inprimis ad Aulea, tunicas, vittas; aliaq; tum ornamenta, tum indumenta: qualia & apud Romanos in uſu fuere, ut liquet ex illo *Perſij, ſat.* 1. *Hic aliquis, cui circum humeros Hyacinthina lana eſt.*

CAPUT XII.

IRIS.

I. NOMEN.

I*Ridis* vox Græcam agnoſcit Originem; ſi Grammaticis credimus, ab εἴρειν, quoniam præſagire aliquid credita eſt.

Variæ eſt ſignificationis. 1. *Nuntia Iovis* à Poëtis appellata eſt *Iris*. 2. Itemq; fama. 3. Et *arcus cœleſtis*. De harum appellationum ratione dicemus in *corollario*. Eadem vox quamplurimis alijs rebus, tam ſimili colorum varietate iridi cæleſti æmulis, quam nihil illi affine habentibus tribuitur. Nam ſignificat 4. *placentæ* aliquod genus, *Etymolog.* 5. *Avem* quandam. 6. *Gemmam* de qua *Plinius l.* 37. *c.* 9. 7. *Fluvium*, de quo *Apoll. Rhod. in Argo.* 8. *Circulum in oculo* verſicolorem circa pupillam. 9. Denique *plantam* cujus flores cæleſtis arcus picturatam varietatem imitantur vivis coloribus. Eſtque hæc acceptio & uſurpatio noſtri propoſiti.

Donata eſt hæc Planta & alijs titulis, dicitur quippe,

Θαυμαςὸς, *Admirabilis.*

Θαυμαντίας, à patre dvæ Iridis.

Θελπίδη ſeu potius θαλπίδη, quod calefaciat & foveat pectus.

Ἱερὰς *conſecratrix*; καθαίρουσα *purgatrix*, quoniam antiquitus, ad luſtrationes, purificationes, aliaſq; res ſacras inſignis horum florum erat uſus, & commendatio. *Dioſc.* ſcribit *l. c. cap.* 1. Romanis dici *Maricam* (alijs perperam *Maritam*) cujus appellationis ratio mihi eſt ignota. Fortean legendum *Naronica*, quod conjicitur ex *Nicandro* ſcribente Iridem naſci juxta *Naronis fluvium.*

Ἶριν θ' ἣν ἔθρεψε Δρίλων καὶ Νάρωνος ὄχθη.

Conſentit *Plin. l.* 21. *c.* 7. ajens, *Laudatiſsimam Irida eſſe, quæ in Illyrico provenit, in ſylveſtribus Drilonis & Naronæ.*

Latini nominant *ſpathulam odoratam: Radicem violaceam. Lilialem.* Germ. Violwurtz Schwertel/ Himmelſchwertel, Blawliſch oder blawe Lilien/ Zirobwurtzel/ Schwaddeckenwortel.

II. DIF-

I R I S.



I 2.

II. DIFFERENTIÆ.

IRIDIS differentiæ petuntur
I. *A Radice*: Alia bulboſa: alia non bulboſa.
II. *A foliis*, latifolia, anguſtifolia.
III. *A loco Natali* Illyrica, Florentina, domeſtica, ſylveſtris.
IV. *Ab odore*, bene olens, aut inodora.
V. *A Quantitate*, minima, maior.
VI. *A florum Colore*: alba, lutea, cinerea, purpurea, cœrulea, quæ colorum diſcrimina à *Dioſc.l.1.c.1.* propoſita, hic quidem de diverſis floribus intelligenda ſunt, attamen & in uno flore itidem inveniri ſolent; ita quidem ut ab eo, qui prælucet cæteris, totus flos denominetur.

III. SPECIES.

QUAMQUAM hunc apparatum ſaltem inſtructum velimus plantis bulboſis, & tuberoſis, nihilominus ob cognationem & affinitatem tum Nominis, tum figuræ, patiemur etiam Iridibus non bulboſis aliquem hic locum relinqui: quam noſtram faventiam, ut lubenter illis indulſimus, ita ne quis rigidiorum cenſorum aliovorſum interpretetur, rogamus. Irides bulboſæ antecedant: Cæteræ fiant ſubſequæ.

I. IRIDES BULBOSÆ.

IRIDUM bulboſarum quas à Junceis foliis *Belgæ* vocant *Ionquillies*, tanta eſt tum multitudo, tum varietas, ut difficulter eas omnes aliquis enumeraverit. *Dodon. Comm. Belgic.* refert *Ioachimum* quendam *Venierium* in montibus Pyrenæis reperiſſe 26. diſtinctas ſortes, in quibus tamen non fuere numeratæ illæ, quibus flores rubri aut flavi; quippe quarum in Pirenæis nullus proventus. Satis nobis erit præcipuas recenſere, quas ad duas claſſes reducimus, *Latifolias & Tenuifolias.* Earum qualibet varietates plureis complectitur, definitas à colore florum.

LATIFOLIÆ.

I. *Iris ἄκαυλος, ſine grandi caule, flore purpureo.*
II. *Eadem flore cœruleo.*
III. *Eadem flore lacteo.*
IV. *Iris cauloſa, ſcapo inſtructa, flore cœruleo.*
V. *Eadem flore citro purpureo.*
VI. *Alio flore candido, quæ his Anglica.*
VII. *Iris foliis cæpaceis maculatis flore purpureo inodoro.*
VIII. *Eadem flore variegato.*

ANGUSTIFOLIÆ.

IX. *Iris Verſicolor. Flos varius*, in quo luſus Naturæ mirificus. *Cluſius* ex ſemine huius educavit enatas plus quam XVIII. diverſas colorum differentias.

X. *Iris*

X. *Iris verſicolor ramoſa πολύκλωνος*; duobus, tribus, aliquando pluribus floribus conſpicua.

XI. *Iris Lutea, Inodora, Major.*

XII. *Eadem minor.*

XIII. *Iris verſicolor; lutea; ſublimis, floribus latis.*

XIV. *Iris lutea verſicolor, humilis, floribus latis*, cujus plurimæ ſunt varietates, maculis notabiles.

XV. *Iris lutea verſicolor ſublimior, floribus anguſtis.*

XVI. *Eadem humilior.*

XVII. *Iris cœrulea.*

XVIII. *Iris purpurea.*

XIX. *Iris violacea.*

XXI. *Eadem purpureo-violacea, & violaceo-purpurea.*

XXI. Huc cognationis merito referri poteſt *Iris tuberoſa, præcox, obſcurè viridi colore*, quam alii *Lonchitidis* ſpeciem; alii *Satyrici*; alii *Hermodactylum* verum faciunt.

II. IRIDES NON BULBOSÆ.

HArum innumera eſt varietas, non tantum commendabilis colorum diverſo ac amœniſſimo aſpectu; ſed etiam viribus ac efficacia præſentiſſima. Nemo facilè omnium ſpecierum numerum recenſebit. *Cluſius* fatetur nuſquam ſe pedem peregrinis regionibus impoſuiſſe, ubi non repererit diverſas varietates, ante à ſe non viſas. Sunt in Belgio qui plus quam 50. differentias colorum in ſolis Iridibus oſtendunt; creduntque nullum eſſe colorem, quem hic flos non repræſentet. Nihilominus compendii gratia nos earum, haut ſecus aut Bulboſarum, duo conſtituemus capita. *Latifolias, & Anguſtifolias.*

LATIFOLIÆ.

I. *Iris biflora, Luſitanicæ, odoris ſuaviſſimi.*

II. *Iris biflora Bizantina.*

III. *Iris biflora Dalmatica minor.*

IV. *Iris biflora Florentina, albiſſimo Flore.*

V. *Iris Illyrica, flore albo, aliquantum ad cœruleum inclinante.*

VI. *Iris peregrina, Suſiana, Chalcedonica, flore magno, ex albo nigricante.*

VII. *Iris Aſiatica, ſeu Dalmatica, πολυάνθης, major, flore cœruleo.*

VIII. *Iris purpurea.*

IX. *Eadem ſubrubens inodora.*

X. *Iris Bizantina, purpureo-çœrulea.*

XI. *Iris Damaſcena. πολυάνθης.*

XII. *Iris Germanica; hortenſis, cœrulea, vulgaris*: Schwaddeke.

XIII. *Iris Germanica, flore obſoleto.*

XIV. *Eadem flore albo.*

XV. *Eadem flore albo-luteo.*
XVI. *Eadem candido-purpurea.*
XVII. *Eadem colore variegato.*
XVIII. *Eadem albo viridis.*
XIX. *Eadem flore candido, purpureis venis diſtincta.*
XX. *Iris Germanica; ſativa; lutea.*
XXI. *Eadem lutea variegata.*
XXII. *Iris Belgica verſicolor.*
XXIII. *Eadem Belgica purpurea altior.*
XXIV. *Eadem purpurea humilior.*
XXV. *Eadem Belgica, pallida, ſtriata.*

Affinitatis gratia his Iridibus accenſeri poteſt:

XXVI. *Iris ſylveſtris lutea, ſpathula fœtida: Acorus ſylveſtris; adulterinus; paluſtris: Gladiolus luteus: Butomus: Pſeudoiris.* ξυρὶς: ἶρις ἀγρία, Waſſerlilien/Drachenwurtz/ Ket-tick.

ANGUSTIFOLIÆ.

XXVII. *Iris pratenſis fœtida.*
XXVIII. *Iris pratenſis, non fœtida, major, flore vario.*
XXIX. *Eadem non fœtida, minor, flore cœruleo.*
XXX. *Iris maritima major.*
XXXI. *Iris maritima minor.*
XXXII. *Iris hortenſis verſicolor.*
XXXIII. *Eadem alba ſtriis rubris.*
XXXIV. *Eadem cœrulea multiflora.*
XXXV. *Chamæiris, ſeu iris puſilla major, flore variegato.*
XXXVI. *Chamæiris puſilla, purpurea.*
XXXVII. *Eadem violacea.*
XXXVIII. *Chamæiris minor purpurea.*
XXXIX. *Eadem minor cœrulea.*
XL. *Eadem rubella.*
XLI. *Eadem flore variegato.*
XLII. *Eadem flavo-purpurea.*
XLIII. *Eadem alba.*
XLIV. *Eadem abſolutè pallida.*
XLV. *Eadem lutea.*
XLVI. *Eadem candicans, ſtriis variis diſtincta.*
XLVII. *Chamæiris ſaxatilis, Luſitanica.*
XLVIII. *Eadem ſaxatilis Gallica.*

IV. VIRES ET USUS.

IRIDIS BULBOSÆ.

DE facultatibus Iridum bulboſarum nemo hactenus quidquam literis aut memoriæ prodidit, non magis quam de viribus Archithyrſi aut Gavianæ. Saltem elegantiæ & oblectamenti gratia in hortis educantur.

IRIDIS NON BULBOSÆ.

IN RE FAMILIARI. Ex floribus Iridis cœruleæ putrefactis in cella, elicitur color viridis elegantiſſimus, quem pictores quidam in ſecretis habent. Radices veſtimentis interpoſitæ, eadem à tineis immunia ſervant, proinde etiam pannis noviter paratis pulverizatæ inſperguntur, quibus inſuper is pulvis odorem ſuavem conciliat. In hunc uſum eruendæ ſunt primo Vere, & ſiccandæ in ſole. Quidam macerant lixivio, ut auferatur illis humiditas ſuperflua, propter quam à vermibus corroduntur, tam in terra, quam extra eam. Poſt exſiccant iterum, & pulverizatas linteis pannisq; inſpergunt pro odoramento. In Gallia fœminæ quoq; capillis aſpergunt.

Radix immittitur in cados vino ſervando deſtinatos, facitque vinum ſapidum, & durabile. Itidemque inditur tonnis cereviſiæ ſimili effectu.

Piſtores frumento easdem radices adjiciunt, ut panem conficiant meliorem.

Iridis ſylveſtris luteæ (quæ ultima fuit in ordine) folia dicuntur noſtratibus mulierculis Kettich / ijſque communiter utuntur loco viminum, quibus alligant lupuli ſarmenta ſuis ſtipitibus. Doliarij etiam ea abſcondunt intra commiſſuras doliorum.

IN RE MEDICA. De facultatibus Ireos prodidit *Dioſc. l.* I. *c.* I. quod *πάσαι ἴριδες δύναμιν ἔχουσι θερμαντικὴν, λεπτυντικήν*: quo nomine commendat præ cæteris eas, quæ ſunt *σφόδρα εὐώδεις, καὶ τῇ γεύσει πυρωτέραι*, id eſt, odore perquam ſincero, & ſapore acri, igneo: Quamvis hanc interpretationem nonnulli averſentur, legentes *πικροτέραι*, pro *πυροτέραι*, de qua controverſia *in Corollario*.

Iridis, tam radices, quam ſuccus, partim *foris*, partim *intus* uſurpantur ad abigenda corporis mala.

Foris. Admota radix naribus odore ſuo ſuavi & penetrabili *ſomnum* conciliat: ex oculis verò *lacrimas* exprimit haut ſecus ac cepe.

Oleo inſperſus earum pulvis, *doloribus* coxendicum & nervorum prodeſt. Cum melle commixtus utiliter imponitur *Unguibus* ulceroſis, rimis manuum, & faciei.

Inſpergitur & pulvis radicum utiliter *fiſtulis* ac apertis ulceribus.

Tumores validè emolliunt radices impoſitæ. Succus radicum tollit faciei *maculas*. In pharmacopolijs paratur *oleum Irinum*, cujus creber uſus, in linimentis ad affectus *capitis, thoracis, juncturarum*: ipſumque id oleum ingreditur compoſitionem *unguenti de Arthanita* majoris, ac minoris. Item *Emplaſtri Diachyli* magni.

Aſſumuntur item Radices Ireos ad compoſitionem *Unguenti Agrippæ*, quod illinitur ventri in *hydrope aliisque* affectibus: Item *Emplaſtri de meliloto* emolliente duros

tumo-

tumores. Quibus crebro equitatu læſa ſunt *interclunia*, ij inſpergant pulverem Radicum Ireos.

Paratur exinde *Emplaſtrum* magno commodo uſurpatum in *Tumoribus* & doloribus Teſticulorum.

Rec. *Rad. Ireos* ℥ß.
Cinnam.
Anethi, utriuſque ℥ij.
Croci ℈ß.

Ex pulverizatis fiat emplaſtrum cum vino albo, quod panno carmeſino exceptum calide imponatur.

Interius: Ireos uſus plurimus eſt ad affectus. 1. *Ventris*, 2. *Thoracis*, 3. *capitis*.

1. *Ventris.* Succus recenter expreſſus, partim ex radicibus ſolis, partim ex floribus etiam, validè deturbat ex corpore aquam & bilem; adeoq; celebre eſt *Hydragogon*. Doſis ad ℥ij. cum Saccaro, ſed caute propinandus. In nonnullis enim corporibus tormenta concitat. Radix ſicca non ita efficaciter purgat; Utiliter tamen adhibetur ad expurgandos Ichores, pituitam, bilemq;. Doſis *Rad. pulv.* ℈ij. *in juſculo*: vel cum *Syr. roſac. ſolut.* in formam pilul. redactæ: vel rad. ℥ß. in aqua communis decoct. doſis decocti ℥ij: ſed pollet efficaci Vi incidendi craſſos humores, & attenuandi ea, quæ meatus obſtruunt. Reſolvit etiam. Unde ad Hydropem prolixè commendatur à Medicis. Fœminis certè noſtratibus nullum eſt gratius, aut frequentius ὑπόγειον, quam Rad. Ireos propinare ijs, quibus venter & crura intumuerunt, ab aqua intercute.

In hanc rem paratur *Syrupus de Rad. Ireos*, cujus doſis ℥ß, mane quotide ſumptus. Itemq; *aqua deſtillata* ex floribus purpureis, uſurpata cum *ſpec. Diatrion ſand.* & *Cinnamomo.* (hæc aqua ingreditur etiam *Elect. Diaſcbeſt. Montagnæ.*) Eidem ſcopo ſicut & *Ventriculi*, ac *inteſtinorum* affectibus, dedicatæ ſunt & proſtant in Pharmacopolijs compoſitiones multæ, ad quas Radices Ireos aſſumuntur: *Elect. Ducis Confect. Lithontrip.* (quæ inſimul & Calculoſis prodeſt:) *Tryphera magna Syr. de Arthemiſia* (quæ item uteri affectibus ſervit.) Hujus facultatis expellendi ſeroſos humores, quâ inprimis celebris eſt Iris, mirum quod *Dioſcorides* nullam prorſus fecerit mentionem.

Aqua in qua coctæ Radices, *Vrinam* & *arenas* pellit: *Vermes* necat: *tormina* ventris compeſcit, *menſtrua prolicit.* (educunt.

Peſſaria parata cum melle ex Radice Ireos, *menſtrua, ſecundinas, fætumq;* mortuum *Conſerva* Radicum Ireos commendatur ad Calculum & Hydropem.

2. *Thoracis.* Pleriſq; affectibus Thoracis ſuccurrunt Radices Ireos, *Aſthmati, tuſſi, &c.* Enimvero craſſos humores, & tenaces, ut ante memini, incidunt, faciuntque ejectioni aptos. Huic ſcopo ſerviunt compoſitiones in Pharmacopolijs uſitatæ & celebres, quarum pars aliquota eſt radix Ireos.

Elect. Diairios.	*El. Diacaſtorei.*
Rotulæ Diairios.	*Syr. de praſsio.*
El. Diahyſſopi.	*Loch ſanum & expert.*
Diapraſsij.	*Loch de pino.*
	Trochiſci Bechici albi.

Quin

Quin & eædem Radices Ireos ingrediuntur *Theriacam, Mithridatium*, quod ex *Antipatre* deſcripſit *Galenus*, & ex Galeno *Aetius, Antidotum Esdræ*.

Solent ferè in familiari uſu, Radices Ireos ſicci, redigi in pulverem, & cum aliijs intinctibus aſſumi, vel melli permixtæ delingi. Vel radices integrè decoqui in Hydromelite; ad tollendam difficilem *reſpirationem, dolores* pectoris, *tuſſim* antiquatam.

Comeſtæ jejuno radices, corrigunt *anhelitum* fœtentem.

3. *Capitis*. A capite Radices detrahunt pituitam, idque iterum corroborant, ſeu comeſtæ, ſeu maſticatæ ſolum, ſeu naribus inflatæ. Paratur ex earum tam ſucco, quam pulvere, ſternutatorium, non minus ſalubre, quam ex *Nicotianâ*. Ita ſternutando liberatur caput humoribus, excitantibus *catharrum*, aut *cephalalgiam*.

Confectio in Pharmacopolijs *Diacaſtorium* appellata, recipit radicum ireos aliquantulum, confertq; cerebri omnibus affectibus, à frigido dependentibus.

Iris ſylveſtris *lutea* (quæ Iridum numerum claudit) à cæteris Iridibus tota natura differt. Ejus radix non calefacit, incidit, ſed frigida eſt, adſtringens, ſiccans; condenſans; non ut reliquæ urinas ciet & menſtrua; ſed ſiſtit, omnemque ſupprimit *αἱμοῤῥαγίαν*.

V. CULTURA.

IRIDIS BULBOSÆ.

IRides Bulboſæ amant terram levem, bene cultam. Et jam ante hyemem ſub finem Autumni cuſpides ſuas è tellure exſerunt, friguſq; nihil formidant, non magis quam Tulipæ.

Caules cum floribus abſciſſi, & loco commodo ſuſpenſi, dicuntur ad maturitatem ſponte ſua pervenire, & ſemen laudabile perficere. Multiplicatio Iridum bulboſarum fit 1. *Semine*. 2. *Bulbulis*.

1. *Semen* Autumno, quamprimum maturuit, ſi terræ bonæ committatur, intra quartum annum plantas gignit floriferas; mira varietate deſciſcentes à colore parentum ſuorum.

2. Per *bulbulos* citior & commodior fit propagatio. Illi deſiderant autumno à bulbulis matribus avelli, & ſeorſim plantari.

IRIDIS NON BULBOSÆ.

IRides exoticæ, *Suſiana, Illyrica*, aliæq; difficulter ferunt frigus.

Aliquæ in rupibus, lociſq; ſaxoſis naſci amant, aliquæ ſolo arenoſo, maritimo: aliquæ terrâ ſylveſtri incultâ.

Hortenſes non magnam requirunt culturam; neq; altè terræ infigi volunt, ſed deſiderant verſari in ſuperficie, ſi profundè tellure dimergantur, pereunt, arroſæ vermibus ac putredine.

Propagantur partim *ſemine*: partim *fruſtis radicum*.

1. *Semen* matureſcit menſe Julio, ſæpè exigui piſi magnitudine, quod protenus redditum terræ adoleſcit in plantã floriferam, ſecundo, tertio, aut ſequentibus annis. Illud vero notabile, plantas genitas ex ſemine, non ſolum parentibus non eſſe ſemper

ſimiles, quoad colorem, folia, caulem; ſed indicibili diſtinctione variare. Nemo poteſt eas varietates facilè determinare.

2. Sunt Irides quædam nullum ſemen ferentes. Eæ propagari poſſunt *per radiçes*, in fruſta diſſectas, menſe Martio.

VI. COROLLARIUM.

PLanta ac flos *Iris*, nomen mutuata eſt *à Dea Iride*, quam Poëtę, qui Deos in cœlo non inveniunt, ſed fabricant, fingunt filiam *Thaumantis*, & *Electræ*; Miniſtram & Tabellariam *Iunonis*; eodem privilegio, quo *Mercurius* perhibetur

Magni Iovis & Deorum nuntius.

Quoties mortalibus aliquid novarum rerum ſignificatura erat,

Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno.

Eademq; Iris Junoni lectum ſternere ſolebat, auctore *Theocrito*. Sicuti vero Mercurij officium fuit animas virorum è corpore educere, in communem locum: Ita Iridis fuit evocare animas muliebres: qua cauſa *Virg. lib.* 4. *Æneid.* in Didûs demortuæ animâ transferenda, uſurpavit operam non Mercurij, ſed Iridis.

Tunc Iuno omnipotens longum miſerata laborem,
Difficilesq; obitus, Irim demiſit olympo;
Quæ luctantem animam, nexosque reſolveret artus.

Et mox. *Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,*
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Pervolat, & ſupra caput aſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.

Ab hoc nuntiandi officio ijsdem Poëtis, Iris quoque uſurpatur pro *fama*, quâ

non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

Cæterum quia Poëtæ, per Junonem nihil quam aërem intellexerunt: at verò arcus cæleſtis, in aere futuræ tempeſtatis nuncius eſt, aerisq; vel ſerenitatem vel pluvioſam conſtitutionem, præſentia ſua præſagit, factum inde eſt, quod Iridis nomen attributum eſt arcui cæleſti, cujus figura ſemicircularis, & variegatâ colorum picturâ, ſpectaculum humanis oculis & mentibus oſtentat.

Quilibet Iridis flos *novem* componitur foliolis. Quorum *tria* deorſum inflexa ſunt, labellis, lingulis, & fimbrijs ornata: *Tria*, has lingulas & fimbrias tegunt: *Tria*, ſurſum erecta, mucronibus ſe contingunt. Omnium novem foliorum tanta eſt varietas, ut vix quiſquam verbis eam exprimere valeat. Prorumpunt verò, & ſpectandos ſe præbent *Majo* & *Iunio*, habentque id primum ac peculiare, quod ſole lucente claudantur; cælo humecto & frigido dehiſcant & aperiantur.

Diſputatur inter Botanicos & Pharmacarios, quæ quarum Iridum radices ſint meliores, cæteriſque anteferendæ? *Gal. lib.* 1. *Antid.* ait: *Omnes herbarios unanimiter cenſuiſſe Iridem in Illyride natam optimam eſſe.* Hodie tamen *Florentinam* vel *Thuſcam* pręponũt cæteris, propter odoris præſtantiam, æmulantis fragrantiam violæ, unde nomen illi

Ger-

Germanicum Vielwurtz. Veneti utuntur *Illyrica*, eſtque hæc nonihil ruffa, & minus nitida. *Florentina*, ſeu, Hetruſca candidior, aſpectu elegantior, odore ſuavior.

Theoph. lib. 9. hiſt. c. 7. de Illyrica ſic ſcripſit. Ἄυτη δ' ἀρίστη ἐν τοῖς Ἰλλυρίοις, οὐκ ἐν τῇ πρὸς θαλάττας χώρᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνακεχωρηκυίᾳ, κειμένη δὲ μᾶλλον πρὸς ἄρκτον, id eſt, *Optima quæ in locis Illyricæ deſertis, verſus Septentrionem naſcitur, non verò in maritimis.* Ita hunc locum interpretatur *Plinius*; excepto, quod ἀνακεχωρηκυίᾳ, vertit ſylveſtria. At verò *Dodon. p. 2. lib. 3. cap.* 1. notat legendum *Paluſtria*, quæ notatio non poteſt mihi placere.

Enimvero *Theophraſtus*, idcirco maritimam Irida Illyricam improbavit, quod ſit humidior, & excrementoſior. Mehercles multo magis damnaret Paluſtrem, quæ plus adhuc humoris ſuperflui in ſeſe continet.

Quæritur etiam, *quomodo Florentina differat ab Illyrica? Reſpondeo*, neque ſpecie differre, neque ſolo colore; ſed qui utramque in tellure ſuâ nativâ creſcentem viderunt, profitentur differre his conditionibus. 1. Illyrica bis floret, Hetruſca ſemel. 2. Hetruſcæ radix & extus & intus eſt alba; Illyricæ verò foris ſaltem alba; intus ſubruffa.

Dixi ſuperius §. 4. *à Dioſc.* ſcriptum eſſe *lib.* 1. *cap.* 1. Iridis radicem eſſe τῇ γεύσει πυρωτέραν. Pro ea voce interpretum quidam legendum cenſent, πικροτέραν, id eſt, *amariorem.* Eam ſuam correctionem probabilem faciunt multis conjecturis. 1. Cum amara ſit revera Iris, mancus foret *Dioſc.* ſi tam nobilem ejus qualitatem tranſiliiſſet ſilentio. 2. Ipſa vox πικρότερος tam ſignificat amarum, quam acre; ut liquet ex *Theophraſt. lib. 6. cauſ. cap.* 13. ſcribente, *Vinum vetuſtum* πικρότερον. Eſt vero id vinum amarum juxta ac acre.

Satius tamen fuerit, meâ ſententiâ antiquum illud πυρώτερον retineri in codice. Enimvero (quod 1. dicebatur à correctoribus) tantum abeſt, ut amaror ſit nativa qualitas in iride commendanda, ut potius ſi qua eſt radix Ireos amarore inſignita, ea à bonitate debitâ judicetur recedere pluſculum. Teſtis eſt *Dioſc.* ipſe, Iridem Libycam rejiciens quod amara ſit.

Teſtis *Gal. lib. 1. ant. c.* 12. conferens eandem Libycam amaram cadaveri, & Illyricam non amaram corpori vivo. Ad 2. Includat ſanè τὸ πικρότερον ſignificatum utriuſque qualitatis, tam acredinis, quam amaritiei, πυρώτερον vero notet ſolam acredinem, nulla certè neceſſitas cogit, ab antiqua lectione recedere, & τὸ πικρότερον infarcire loco πυρωτέρου, quoniam, ut dixi, in Iride, neq; amaror evidentior acredine, neq; tantæ dignitatis, ut proinde correctione opus ſit; cum inter vitia Iridis habeatur prævalens amaritudo.

CAPUT XIII.

LEUCOION BULBOSUM.



I. NOMEN.

Λευκόϊον, Græcam eſſe vocem, cuilibet notum eſt: λευκὸν ἴον, quaſi dicas, *album violam*. Sicuti vox *Violæ* diſtinctiſſimis floribus communis eſt, ita & *Leucoij*. Videntur mihi antiqui, ſuaveolentes quoſq; flores generatim Violas appellaſſe, cujuſcunque etiam forent generis, quaſi *vi olcant. Virg. Ceiri:*

Et Violæ omne genus, id eſt, flores omnes odori. Hinc factum quod *Virg.* & *Horatius* Violæ adſcripſerint tam diverſos colores, *nigrum*, *purpureum*, *pallidum*, *&c. Eclog.* 10.

tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens.

Ibid. *Et nigræ violæ ſunt & vaccinia nigra.*

Quod deſumptum ex illo *Theocriti:*

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Horat. l. 3. c 10.

Et tectus viola pallor amantium.

Id generale violæ nomen hodie-num attribuitur, *Violæ Martiæ, Iaſmino, Violæ Calathianæ, Marianæ, matronali, &c.*

Ad idem Exemplum nomen *Leucoij*, ſeu albæ violæ impoſitum eſt diſtinctiſſimis plantis. Enimvero generatim eo deſignantur omnes violæ, quæ primæ flores ſuos proferunt, ubi aura tepidior cepit ſpirare mox ab hyeme.

Sigillatim vero, 1. *Leucoion* dicitur *fruticulus*, radice fibroſa, cujus variæ ſunt differentiæ, non ſolum in colore florum, purpureo, pallido, carneo, flavo; ſed & ſimplicitate, ac plenitudine, & magnitudine florum, loco natali, &c. Pottnegelken/gelbe Vielken/Keyri/violiren/ſtofflieren/id eſt, ſtockvioliren.

2. *Leucoion* eſt *plantula bulboſa*, prima ferè omnium florens, hyemis exitu, de qua jam ſumus ſolliciti. Ea Narciſſo congener & ſimilis, à lilio adjectitium nomen accepit, quoniam candidiſſimo colore lilium exprimit, niſi quod mucro folioſorũ in flore, luteo quodam virore paululum eſt infectus, abs qua nivea albedine vulgariter appellatur.

Λευκοναρκισσολείριον; *Leuconarciſſolirium.*
Leucoion bulboſum. Narciſſo-Leucoion.
Viola alba bulboſa.
Narciſſus hybernus: Martius.

Germ. Zeitloſen/Tydeloſen/Weilathen/Winter oder Sommer Dohren/ Sommer Sotekens/Schnee Vielken.

Hornung-Mertz-Aprillblumen.

II. DIFFERENTIÆ.

1. A *Tempore*; Leucoion aliquod Vernum præcox: aliquod Autumnale ſerotinum.

II. *A floris foliolis, τρίφυλλον, ἑξάφυλλον.*
III. *A florum magnitudine:* patulum, majus: clauſum, minus.
IV. *A colore.* Album, cœruleum.
V. *A Foliis.* Latifolium, Juncifolium.
VI. *A Patria.* Germanicum, Hiſpanicum.

III. SPECIES.

LEUCOION LATIFOLIUM.

I. L*Eucoion vulgare; præcox; vernum*; floribus lacteis; quorum mucro flavo-viridibus maculis tingitur, ἑξάφυλλον. *Germanicum.*
II. *Leucoion idem floribus majoribus patulis: Bohemicum.*
III. *Leucoion pleni- ſeu multiflorum: Hiſpanicum.*
IV. *Leucoion bulboſum, præcox, floribus albis. τρίφυλλον; minus.*
V. *Idem majus.*
VI. *Leucoion ἑξάφυλλον cœruleum.*
VII. *Leucoion bulboſum, autumnale, majus.*
VIII. *Idem minus.*

JUNCIFOLIUM.

IX. L*Eucoion præcox, vernum, album, minimum.*
X. *Leucoion unico junceo folio.*

IV. VIRES ET USUS.

PATRUM noſtrorum ævo primum cognoſci cæpta eſt hæc Planta. Antiquis inviſa & indicta: Unde de facultatibus illius nihil memorabile dicere habeo. Oblectamenti ergo educatur in hortis.

V. CULTURA.

NON poſtulat operoſam culturam, ſed quovis ſolo, etiam inter ſtratos lapides provenire hos floſculos vidi. Umbram vehementer amat. Solent fere bulbi Autumno poſiti non dare flores ſequenti vere; ſed poſt annum demum, interdum tamen dediſſe obſervavi.

CAPUT

CAPVT XV.

LILIUM CANDIDUM.



I. NOMEN.

QUod multis herbarum florumque accidit, eorum nomen ampla verbi poteſtate, antiquitus impoſitum eſſe diſtinctiſſimis Plantis, ſicuti paulo ante monuimus de Leucoio & Viola; eandem ſortem & Lilium expertum eſt. Cujus vox *generali* & licentioſa uſurpatione aſcribitur omni flori commendabili; quo ſenſu accipi debent illi *Virgilij* Verſus *Eclog.* 2.

Huc ades ô formoſe puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis.

Et Æneid. 6. *manibus date lilia plenis.*

Eadem acceptio ſacris quoque litteris eſt uſitata, tum paſſim, tum in *cantico Salomonis. c. 2. v. 16. Dilectus meus qui paſcit in liliis*, id eſt, floribus omnigenis delectabilibus. Et *c. 4. v. 5. ſimilia ſunt ubera tua hinnulis gemellis capreæ, paſcentibus inter Lilia*, id eſt, inter herbas & flores gratos, *lib. 4. Esdr. cap. 2. v. 19.* promittit Jehova daturum ſe populo ſuo montes ingentes ſeptem, *abundantes roſis & liliis*, id eſt, varijs florum & herbarum generibus. Sed *ſtrictius* aliquanto *lilium* ſignificat peculiares plantarum ſpecies, ut jam mox dicam.

Græcis eſt *κρῖνον, λείριον: λίριον:* Eadem libertate, & privilegio, quo Latini Lilio, etiam Græci uſi ſunt ſuo λειρίῳ; ex voce appellantes omnem florem amabilem, cujuſcunque etiam ſpeciei. Teſtes ſunt *Euſta. Heſych. Suidas, Etymolo. Pollux.* Qui poſtremus etiam *Homerum* citat in hanc rem. Talis eſt λειρίου acceptio apud *Theoc. Eidyll.* 19.

Ἢ ὁπότ᾽ ἐκ λειμῶνος εὔπνοα λείρια κέρσοι.

Hinc λειριόεις, non ſolum *liliaceus*, ſed & *ſuavis, formoſus. Homerus* dixit λειριόεσσαν ὄπα: Et *Apollo* vocatus λείριος, ſuavis.

Cæterum *lilij* vox *preſſo* ſignificatu comprehendit ſubſequentes plantas. 1. *Lilium candidum.* 2. *Lilium cruentum*, aut croceum. 3. *Lilium intortum* ſeu cymbalum, quod & Martagon. 4. *Liliaſphodelum.* 5. *Narciſſum*, ſic enim *Theophr. l. 6. cap. 6. Hiſt.* de Narciſſo loquens, ὁ δὲ νάρκισσος, ἢ τὸ λείριον. Οἱ μὲν γὰρ τοῦτο, οἱ δὲ ἐκεῖνο καλοῦσιν. 6. *Lilium convallium.* 7. *Lilium inter ſpinas*: quæ duo poſteriora bulboſa non ſunt, neque huc pertinent. De cæteris porrò agemus.

Lilium candidum, ſeu niveum, *Nicandro* dicitur *Ambroſia.*
Alijs *Roſa Iunonia, Flos Regius.*
Κρῖνον, λείριον.
Κρινάνθεμον, καλλίριον.
Germ. weiſſe Lilien.

II. DIFFERENTIÆ.

LILIUM candidum aliud *noſtrate*, aliud *exoticum.*

III. SPECIES.

I. L*ilium album, noſtrate*, ſatis cognitum.

II. *Lilium album exoticum. Bizantinũ*: ſeu *Conſtantinop. zultanzambach*: πυλανθὲς; cujus

cujus caulis latitudine palmi, proceritate hominis, proferens flores ſæpè ultra 200. candidiſſimos, & ſuaviſſimi odoris.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Propter odoris fragrantiam ſolent matresfamilias in ſerijs ac faſciculis, quibus feneſtras conclavium ornant, compactis ex herbarum florumque elegantioribus, primas dare lilijs candidis. Flos ſuaviſſimè olet ſuo relictus ſtipiti, neq; manibus multum contrectatus. At contactu jugi fragrantiam perdit. Nimius vero olfactus cerebro ſolet gravis accidere. Flores autem nondum etiam penitus explicati, ſic impoſiti aquæ, aperiuntur brevi, & plene ſe dilatant.

Ex floribus deſtillatur *aqua*, muliercularum *cutim dealbans*, nitidasq; reddens tam facies, quam manus.

IN RE MEDICA. Tum *externo*, tum *interno* uſui medico ſerviunt liliorum folia, flores, bulbi, ſemina.

Externè. Folia vel ſola, vel aceto ac melle temperata, utiliter imponuntur *ambuſtis Eryſipelati*, & *puſtulis* bilioſis. Iisdem prodeſt pulticula confecta ex ſemine & folijs.

Ex floribus oleo maceratis paratur *oleum lirinum* vel *ſuſinum* (σοῦσον apud *Phryges* eſt *Lilium*, aut flos in genere; unde *Suſa* regio Perſarum, dicta ab amœnitate) notiſſimum Pharmacopolijs, cujus uſus uti frequens, ſic probatus eſt in multis affectib. in *emolliendis* induratis nervis: *uteri duritie*, omnibusq; *tumoribus* mollefaciendis. Eodē oleo *gravidarum*, jamjam partitudini ſe accingentium, *venter* & membrum inungitur, & obſtetrices id ſemper in parato habent, eoque perungunt manus.

Eadem præſtant radices, imo folia, ſimiliter oleo macerata.

Radices commodè adhibentur illis affectibus, qui ſine morſura *exſiccari* deſiderant. *Vulneribus* magnis ad initia *nervorum* applicantur utiliter.

Ex ſucco Radicum oleo amyg. amar. & ceræ pauxillo, paratur *unguentum* tollens faciei *maculas*.

Radix earum ſub cineribus toſta cum oleo olivarum, medetur *ambuſtis*, ſeu igni ſeu aqua fervente. Additur quoq; radix *gargariſmis*, & collutionibus oris gutturiſque, ubi maturatione deterſioneque opus eſt.

Interne. Radix cum mulſo epota, pellit ex alvo *ſanguinem concretum*, & ventrem lubricum facit.

Oleum Lyrinum *clyſteribus* additur.

Aqua florum ſtillatitia, cum croco & cinnamomo uſurpata, promovet *partum*, *ſecundinas* pellit: Etiam gutturis vitia tollit.

V. CULTURA.

SI eximendi ſunt è terra Liliorum bulbi, fiat id circa Jacobi diem: Et protenus, aut paucis diebus interpoſitis, reponantur.

Propagationem Liliorum tribus modis fieri, proditum à ſcriptoribus. 1. *Lacryma*. 2. *ſemine*. 3. *bulbis*. *Theoph. l.* 1. *cauſ plant. cap.* 4. autor eſt, mirabili ratione Lilium propagari per ſuccum aut *Lacrymam*. Ejus rei cum in nullo unquam vegetabili Exemplum

 ſimile

ſimile ſpectetur, & periculum his in locis factum, id vanum oſtendat, pro figmento à nobis habetur.

2. *Semen* quidem Lilia alba ferre dicuntur. Ego autem in hortis tuliſſe maturum nunquam vidi. Nimirum cadit flos abſq; fructu, ſeu ſemine; cadit διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ὑγρότητα. Per naturam enim humida eſt, & pinguis liliorum planta. Et major adhuc ex hortis humiditas accedit. Ajunt verò caulem abſciſſum, ſuſpenſumq; in conclavi, tandem dare ſemen maturum. Id fortaſſis fit, quia caule reſecto ſiccatur pars ſuprema, quæ fructui deſtinata eſt: & quia caulis juxta radicem abſcinditur, ſubminiſtratur ex illo alimentum ſuccusq; ſemini. Nam ſeu nullum alimentum detur, ſeu nimium & nimis humidum detur, fructus non perficitur.

Porrò ſemen in conclavi perfectum & maturatum, (ſi ea fama vera eſt) etiã ipſum vix aptum eſt ſationi: Aut ſi ſeratur, moram multorum annorum poſtulat, antequam adoleſcat in plantam floriferam.

3. Faciliter, & promptè multiplicantur lilia per adgnatos *bulbulos*, *nucleosque* aut *ſegmina* bulborum, quæ ſigillatim telluri commiſſa ad Autumnum progerminant, & hac ratione lilium feracitate multas alias plantas ſuperat.

In *Horticultura noſtra* tradidimus productum iri lilia eo colore quem deſideras, ſi vel bulbum maceraris liquore colorato; vel in bulbum immiſeris colorem cupitum; vel plantam irrigaris aqua colorata.

Notabis etiam, lilia productura flores ſucceſſivis diebus, non eodem tempore, ſi bulbi aliqui profundius, aliqui altius deprimantur in terra.

Modus conſervandi lilia in autumnum, aut hyemem talis eſt. Flores nondum plene explicatos cum ſcapis ſuis impone fictili, aut capſulæ ligneæ, pice intus obductæ. Exactè claude. Defode in terra. Cum uti voles, exime: & lilia indito in aquam tepidam, ut ſe explicent.

Lilij haſta, noviter cum flore abſciſſa, glebæ argilloſæ infixa, in vigore ſervat diutius florem ſuum: Quia humor nativus, toti ſtipiti infuſus, convertit ſe ad ſuperiorem haſtæ partem, & digerit materiam floris, etiam nondum perfecti. Tumq; expandit ſe floſculus, & ex viridi albeſcit, tum primum digeſto humore.

VI. COROLLARIUM.

Coel. Rhodig. l. 6. c. 2. autor eſt, cum *Hercules* Immortalitate donatus, à Jove demiſſus, dormientis Junonis lac ſuxiſſet, & effuſa eſſet aliqua divini liquoris portio per cælum, Galaxiam inde enatam: Nonnihil verò cum & terram rigaſſet, ſuccreviſſe inde Lilij florem, qui colore ſua præferat primordia. Ea de cauſa, à Poetis indigetatum eſt Lilium *Roſa* vel *Lac Iunonis*.

Plinius erudito ac eleganti artificio, depinxit *Lilium l. 21. c. 5.* unde non poſſum quin pauca hæc aſſcribam. *Lilium*, ait, *Roſæ nobilitate proximum: & impoſitum etiam maxime Roſas decet*, (id eſt quod cecinit *Virgilius, lib. 12. Æneidos*.

Vel miſta rubent uti lilia multa
Roſa alba: tales virgo dabat ore colores.)

medio

medio proventu earum incipiens. Nec ulli florum excelſitas major: interdum cubitorum trium: languido ſemper collo, & non ſufficienti capitis oneri. Candor ejus eximius, folijs foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus, effigie calathi; reſupinis per ambitum labris; tenuiq; filo & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Ita odor colorq; duplex. Et alius calicis, alius ſtaminis, differentia anguſta. Virgil. Eclog. 10. *Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.*

Cur *grandia* vocet, videtur intelligi ex loco *Plinij* jam laudato; *quoniam nulli florum excelſitas major.* Equidem *Flos ſolis Peruvianus* Lilio multo eſt grandior, ut proinde *Gigas florum* dici meritus ſit. Verum is *Virgilij* aut *Plinij* ætate nondum innotuerat.

Cum *lilio* ſolet comparari *Virginitas.* 1. *Ratione decoris.* Eſt enim flos miræ pulchritudinis, ob candorem. Ita virginitas ſpecioſa eſt puritate carnis, & candore animi. 2. *Ratione odoris.* Flos lilij quando integer & intactus eſt, redolet ſuaviter: Sed confractus & confricatus fœtet plurimum. Similiter hominum caro dum intacta & integra per virginitatem permanet, redolet ſuaviter in facie Dei & hominum; ſed dum per luxuriam confricatur, tam ſpiritualem, quam corporalem fœtorem emittit. 3. *Ratione fulgoris.* In Lilio aurea quædam grana fulgent, quæ ſeptem haſtulis ſuſtentantur, juxta ſeptem candidiſſima folia. Ita ſeptem virtutibus (quę ſeptem folijs reſpondent) pię virgines ornatæ ſunt: Juſtitia, temperantia, fortitudine, prudentia, fide, ſpe, charitate: juxtaq; cum iſtis poſſident ſeptem grana aurea, id eſt, ſancti ſpiritus dona, ſeu ſacrum ſeptenarium, ſapientiam, ſcientiam, intelligentiam, conſolationem, pietatem, timorem, conſtantiam. Hæc legiſſe me aliquando memini *in Summa Geminiani prædicatoris.*

Salvator noſter *Ieſus Chriſtus, Matthæi c. 6. & Lucæ c.* 12: ſic infit: *Καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει· λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.* Hic Dominus tam admirandam facit pulcritudinem Liliorum, ut ne quidem Salomon cum omni ſuo ſplendore & ornatu, cum illis comparari mereatur. Primo aſpectu hoc ſuſpiciendum pulchritudinis artificium non incurrit oculos. Sed ſi quis novum catoptri genus, quod res minutas ante oculos proxime poſitas aggrandeſcere facit, uſurpet; & per id contempletur ſtamina illa exilia; itemque filamenta, & fiſſuras lilij, fatebitur nulla humana lingua, illam elegantiam, illud miraculum, efferri ac ſatis prædicari poſſe.

In *Veteris Teſtamenti* codice, ſæpènumero memoria injicitur *lilij. lib. 2. chron. cap. 4.* Salomon lacum parari curat, cujus labrum ſimile dicitur *labro calicis* aut *floris lilij.* German. Verſio habet: Und ſein Rand war wie eines Bechers Rand/ und eine auffgegangene Roſe. Id puto inconvenienter translatum. Calicis enim labra ſuprema, nequaquam figuram gerunt Roſæ apertæ; quippe quæ diſtinctæ pluribus folijs divaricatur, neutiquam connatis neu cohærentibus. Multo aptius comparantur hæc labra lilio, quod folijs conſtat, infernè anguſtè rotundis, ſuperius leniter extrorſum inflexis, adeoque repræſentantibus formam pulcherrimi calicis.

Lib. 4. Esd. v. 24. dicitur Jehova ex floribus omnibus ſibi elegiſſe *unicum Lilium*, per quod myſticè haut dubio intellectus eſt puriſſimus ille ab omni labe delictorum, Dei & Mariæ filius.

Alibi in *veteri Teſt.* Loca plurima occurrunt, in quibus, ſi *Iunio, Tremellio & LXX. Interp.* credendum, de Lilio ſermo inſtituitur. *Germ.* autem *verſio* ubivis Roſas poſuit loco Liliorum. *Cant. Salom c. 4. v. 5. labra ejus ſimilia Lilijs.* Germ. den Roſen. *Oſeæ cap.* 14. *v.* 5. 6. *Ero velut* Ros *Iſraëlis, Florebit ut Lilia.* Germ. Wird blühen wie eine Roſe. Quantum à lilio diſtet Roſa, nimis notum eſt. In fonte Hebraico poſitum eſt vocabulum שרשר derivatum à שש, quod Homonymum eſt, ſignificans, 1. ſex, ſeu numerum ſenariũ. 2. Byſſum, nobile illud telæ genus. Byſſus autem cum candore niveo præcipuè ſit commendabilis, eam ob cauſam *LXX. & Tremell.* verterunt Lilium, quo nullus eſt flos candidior, magiſq; niveus. Interpretem autem Germanicum, qui Roſen vertit, dicerem reſpexiſſe ad numerum ſenarium, quaſi totidem foliolis flos roſæ conſtaret. Sed partim nulla eſt roſa ſenis folijs inſtructa; omnium ſimpliſſimæ quinam habent; cætera plura; partim quia ita quivis flos alius, ſenis donatus foliolis poni potuiſſet in Germanico. At verò locum illum *cantic. c. 5. v. 13. Labra ejus ſimilia liliis,* malim per Roſas, quam per lilia ego interpretari. Labra enim non alba (qualis color liliorum) ſed rubella, & roſea, (qualis roſarum rubrarum) commendari ſolent & amari.

CAPUT XV.

LILIUM CRUENTUM.

I. NOMEN.

L*ilium* hoc à colore, quo inſignitur, nuncupatur, *croceum, cruentum; purpureo-croceum.*

Bulbus cruentus Hippocr.
Coſmoſandalus.
Hyacinthus Poetarum, falſo.
Hemerocallis; Martagon. Utrumque perperam.
Gelbe Lilien.

II. DIFFERENTIÆ.

I. A *Colore.* Cruentum: Croceum: Aureum.
II. *Ab accreſcentiis,* Bulbiferum in caule; non bulbiferum.
III. *A magnitudine,* majus, minus &c.

III. SPECIES.

LILIUM CRUENTUM NON BULBIFERUM.

I. *Lilium purpureo-croceum; Cruentum; Majus; multiplici flore.*
II. *Idem minus multiplici flore.*
III. *Lilium cruentum majus, ſimplici flore.*
IV. *Idem minus ſimplici flore.*
V. *Lilium Phœniceum dilutum, vel puniceum majus.*
VI. *Lil. polyanthes, colore ſandycis, aliquando flores ferens LXXXIV.*

BUL-

LILIVM CRVENTVM.



BULBIFERUM.

VII. *Lilium cruentum bulbiferum: latifolium: majus.*
VIII. *Idem majus anguſtifolium.*
IX. *Lilium cruentum bulb. minus.*
X. *Lilium bulbiferum incanum.*

IV. VIRES ET USUS.

De facultatibus Lilij cruenti nihil adhucdum cognitum eſt, præterquam quod ante feneſtras ornatus gratia collocetur, credibile eſt radices emollire, & abſceſſus maturare.

V. CULTURA.

Liliorum horum proventus, in his regionib. culturâ quæ bulboſis cæteris communis eſt, opus habet. Alibi terrarum naſcuntur inter ſegetes. Apud nos nonniſi in hortis.

Lilia bulbifera, præter has caulium ſuas verrucas, aliud nativum ſemen ferre dicuntur, ut Lilia cætera; ſed de cujus ſeminatione idem hic cenſendum, quod *capite præced.* de lilijs albis monuimus, per bulborum appendices commodè propagantur.

CAPUT XVI.

LILIUM INTORTUM ſeu CYMBALUM.

I. NOMEN.

Lilium floribus reflexis, peculiari nomine *Martagon Chymiſtarum*, vel Martagon Pomponij nuncupatur. Credo equidem ab indoctis Chemicis, nomen τὸ μάρταγον excogitatum eſſe, quippe quod nec apud Græcum, nec Latinum ſcriptorem ullum probatum ex Priſcis invenitur.

Lilium montanum: ſylveſtre.

Hemerocallis. quaſi unum diem ſervans florem ſuum vegetum: (*Theophr.* habet ἡμεροκαλές.) Cum enim in hortis ſeratur ad coronamenta, ſcribit de eo *Theophr. l. 6. cap.* 1. *Hiſt.* ὅτι ὀλίγον τὸ ἥμερον αὐτῆς. ὅπερ σχεδὸν ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς ἐστιν, οἷον ῥοδωνιὰ, ἰωνιὰ; διὸς ἄνθες, ἀμάρακος, ἡμεροκαλές. id quod *Plin. l. 21. cap.* 10. vertit: *Et tamen folio coronant; Iovis flos, amaracus, hemerocales,* &c. Sed hæc proprietas neſcio an huic Lilio conveniat, quod per multos dies, non ſolum ſuper caulem ſuum in hortis, ſed etiam decerptum immarcidum ſervatur.

Aſphodelum vel *Hyacinthum Poetarum* qui vocant, nimis ablucinantur.

Nos appellamus à figura *Cymbalum.* *Græcè* κρινάνθεμον, κρίνον ἄγριον. *Dioſc. German.* Lilien von Calverien.

LILIUM INTORTUM ſeu CYMBALVM.



Cymblen/Singlen/Krullilien.
Goldwurtz/Heydniſchblumen.

Lype Vulgo; quam vocem ego à rudi, & omnis litteraturæ ignaro homine introductam autumo: qui cum fortè videret tranſmiſſi bulbi inſcriptionem, *Li.pe.* vel, *Li. pu*: id eſt, *Lilium peregrinum*; vel, *lilium purpureum*: ipſe poſtidea florem, totamque plantam appellavit *Lipe*, quod nomen hodiernum apud plebem retinet.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A foliis*; aliquod Cymbalum eſt latifolium; aliquod anguſtifolium.

II. *A colore:* purpureum: obſoletum: punctatum; album; ſpiceum, miniatum.

III. *A numero florum*, πολυανθὲς, uniflorum.

IV. *A magnitudine*, majus, minus.

III. SPECIES.

CYMBALUM LATIFOLIUM.

I. *Cymbalum purpureum, aut flore purpuraſcente: variis punctulis ruffis maculato: non hirſutum.*

II. *Cymbalum purpuraſcens ſaturatè, hirſutum, maculatum maculis luridis.*

III. *Idem ſine maculis.*

IV. *Cymbalum rubeum foris: intus album, maculoſum.*

V. *Cymbalum niveum prorſus, ſine maculis.*

VI. *Cymbalum niveum cum maculis.*

VII. *Cymbalum miniatum: zuphiniare: Lilium Bizantinum.* Flori color eſt elegans minij, aut ceræ rubræ recentis; totus ſui ſimilis, ſine omni macula.

VIII. *Idem coloris aliquanto dilutioris, neque tam intenſe rubentis.*

Diſcrimen inter hæc duo Cymbala miniata id deprehenditur; quod cui flos dilutior, ei folia & caulis viridiora; cui flos ſaturatius tinctus, ei folia & caulis ferè atropurpurea.

IX. *Cymbalum, purpureo ſanguineum, totum* πολυανθὲς.

X. *Cymbalum pyramidale, moſcatum, novum, multiflorum*, ſæpè flores oſtentans in uno caule pluſquam centenos.

ANGUSTIFOLIUM.

XI. *Cymbalum rubrum præcox.*

XII. *Cymbalum miniatum præcox: graminifolium; inodorum.*

XIII. *Cymbalum miniatum præcox, odorum.*

XIV. *Cymbalum flore flavo maculoſo.*

XV. *Cymbalum flore flavo non maculoſo: ubique ſibi ſimili.*

IV. VIRES ET USUS.

DOmeſticus uſus Cymbalorum, eſt ad ornamenta. Nullum ex toto cenſu, tamdiu immarcidos ſervat flores, quam quod miniatum eſt. In medicina eaſdem virtutes non-

res nonnulli radicibus martagonis adſcribunt, (prætendentes *Galeni* authoritatem,) Lilio albo.

Itali circumforanei ex bulbis aquam deſtillant, quâ medentur *ambuſtis*, vel contuſis membris.

Sunt qui aſſeverant, radices intus aſſumptas expellere *urinam*, uſq; ad ſanguinem.

Plæræq; cymbalorum ſpecies ingrati, imo fœtidi ſunt odoris, paucis odoratis exceptis; nullum tamen tetrius olet candido punctato.

V. CULTURA.

PRopagatio Cymbalorum duplex eſt. 1. *Per ſemen.* 2. *Per adnatos bulbulos.*

1. *Semen* ante hyemem terræ commiſſum, intra quatuor, v. vi. annos, flores iterum largitur, notabili varietate ut plurimum differentes à matribus. Pauci parentum ſimiles fiunt.

2. Commodiſſima multiplicatio eſt per *Bulbulos adnatos*, qui circa Jacobi diem eximuntur, ſed diu extra terram ſervari nequeunt: Quin protenus ſunt reponendi. Vehementer his bulbis infenſæ ſunt formicæ.

CAPVT XVII.

MOLY.

I. NOMEN.

Μῶλυ, παρὰ τὸ μωλύειν τὰς νόσους, quia demulcet, ac amolitur morbos. Nominis hujus primus auctor eſt *Homerus Odyſſ. κ.* deſcribens plantam quandam radice nigra, flore lacteo, difficulter è terra exemptilem, præſtantē contra incantationem & veneficia, de qua *in corollario.*

Qui ſequuti ſunt *Homerum* Botanici, eandem hanc vocem retinuerunt, & applicuerunt plantis alijs, quas putarunt ab Homerico Moly non multum differre, quarum nos has invenimus differentias.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A ſolo natali.* Moly aliud noſtrate, aliud exoticum.

II. *A folijs*, latifolium.

III. *A florum colore*, candidum, flavum, purpureum.

III. SPECIES.

MOLY LATIFOLIUM.

I. *Moly liliofolium, lilioflorum, Pancratium quorundam, flore candido.*


II. *Idem flore ſubrubente.*

III. *Moly Indicum.*

IV. *Moly Africanum, umbella purpuraſcente.*

V. *Moly latifolium Hiſpanicum, purpureum.*

MOLY.



VI. *Moly exoticum, floribus albo-viridibus.*

VII. *Moly latifolium luteum, allij odore.*

TENUIFOLIUM.

VIII. *Moly umbellatum. Dioſcorideum; μυλὺ Galeni Lib. 7. ſimpl. med.* niſi fore ibi corrupta eſt lectio pro μωλύ.

IX. *Moly humile: χαμαὶ μῶλυ, folio gramineo.*

X. *Moly Peſarenſe, caule triangulo.*

XI. *Moly minimum flore albo.*

XII. *Moly floribus reflexis: ſerpentinum.*

XIII. *Moly moſcatum, perpuſillum.*

XIV. *Moly novum Hondianum,* cujus bulbus vix æqualis nucleo avellanæ; folia ſemijuncea, id eſt, ſi duo juxta ponantur, perfectum juncum efformantia. Flos pro ratione Radicis grandis, è quo alius adhuc caulis altius ſurgit, ornatus bulbulis plurimis.

IV. VIRES ET USUS.

IGnorantur τοῦ Molyos virtutes. Si ex odore & ſapore licet conjectari, allio aut porro non eſt diſſimile.

V. CULTURA.

Nihil peculiare ſibi poſtulat.

VI. COROLLARIUM.

HOmerum primum in ſcenam produxiſſe τὸ Μῶλυ, jam indicavimus. Locus eſt *libro* 10. *Odyſſ.*

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης,
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε. γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
Μῶλυ δὲ μιν καλέουσι θεοὶ, χαλεπὸν δέ τ᾽ ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι. Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Non ego me nunc anxiè macerabo, ut inquiram aut inveniam, qualis hæc ſit planta? & an nos eam vel oculis, vel manibus uſurpemus? Nullus dubito, quin ſit inventum & figmentum poeticum, qualia apud *Homerum* plurima, imo plæraque. *Plin. l.* 25. *cap.* 4. paſſus eſt ſibi perſuaderi, etiamnum hodie creſcere illud *Moly Homericum,* non ſolum in Arcadia, ſed & Italia. Verum fuit ille, ut in alijs multis, ſic etiam hic nimis credulus. Sic habet *Plinius*: *Laudatiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari à Diis putat Moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraq; ſumma veneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ tradunt; ſpecie illâ Homericâ, radice rotunda, nigraq; magnitudine cepæ, folio ſcyllæ. Effodi autem difficulter. Græci Autores florem hunc luteum pinxere; cum Homerus candidum ſcripſerit. Inveni è peritis Herbarum medicis, qui & in Italia eam naſci dicerent, afferrique Campania mihi aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, radicis xxx. pedis longæ: ac ne ſic quidem ſolidæ, ſed abruptæ.* Hæc Plinius.

In *Homerico Moly* duo notatu digna: 1. *Difficulter,* & non niſi à Dijs erui è terra. 2. *Tollere* ac avertere *incantamenta* & veneficia. 1. Non longe abiero, ſi dicam hoc Moly affine eſſe Plantæ illi, quam *Ioſephus* deſcribit *l.* 7. *cap.* 24. & *Baaras* indigetat, (quæ & ipſa

haut dubio ſuperſtitionis Judaicæ fœtus eſt:) Ei memorat radicem eſſe veſpere inſtar flammæ lucentem; quæ, ſi quis eam evellere cupiat, tamdiu fugiat, quouſq; ſuper eam urina aut menſtruum mulieris effundatur. Quin etiam tunc ſi quis eam tetigerit, protenus mori hominem, niſi jam ante ſimilem radicem de manu pendētem habeat. Tam eſſe difficilem eradicatu.

2. Porrò hanc radicem Dæmonia, incantationes, & veneficia, ſaltem leviter admotam, abigere ait.

Similes fabulas circumforanei impoſtores, fabulari ſolent de ſua radice, ſeu potius de unculo *Alruno*.

Autor *Priap.* myſticè interpretatus eſt *Moly* Homericum *Epigr.* 65. de genitali membro Ulyſſis, è quo μελανοτέλεχωμένῳ lacteus exivit humor, quo Circes hoſtilem animum facile potuit Heros ille flectere:

Hic legitur radix, de qua flos lacteus exit,
Quem cum Moly vocat, mentula Moly fuit.

CAPUT XVIII.

NARCISSUS.

I. NOMEN.

TRibuuntur à Botanicis *Narciſſo* appellationes quædam *generales*, etiam ad alios flores plantaſq; pari jure pertinentes: quædam *ſpeciales* & propriæ. *Generales* hæ ſunt.

1. Λείρλον: *Lilium. Dioſc. l. 4. c. 155.* Ἔνιοι καὶ τοῦτο ὥσπερ τὸ κρίνον, λείριον ἐκάλεσαν, vide *cap.* XIV. §. 1. Fortaſſis *Ovidius* eam ob cauſam Narciſſi pueri genitricem, (qui puer in florem hunc cognominem converſus fingitur) facit λειριόπην, id eſt, ſimilem Lilio quoad faciem.


2. Αὐτογενής, apud eundem *Dioſc. d. l.* cujus Etymologiæ originem petit *Marcellus* ex *Theophraſto*, ὅτι (flos Narciſſi & ſemen) ἐκπίπτων ποιεῖ βλάστησιν αὐτόματον: id eſt, ex ſemine deciduo ſponte naſcitur. Sed innumeræ herbæ idem nomen ſibi vendicabunt, quarum ex ſemine, ſponte cadivo, annua eſt generatio, multo etiam promptior, multoq; locupletior quam Narciſſi, qui utut magna induſtria ſatus, vix generatur, & vix intra multos annos perficitur. *Calendula, Borrago, parietaria, papaver* &c. majori merito forent αὐτογενεῖς.

3. Βολβὸς ἐμετικὸς, *Bulbus vomitorius.* Ciet quidem vomitum radix Narciſſi, ſed multi alij Bulbi ſimiliter, & vehementius. Eſt vero alius quidam verus Bulbus vomitorius, ſpeciatim dictus, deſcriptus à *Dioſc. lib. 2. c. 160.* *Specialia* & propria nomina hujus plantæ ſunt hæc.

Narciſſus nomen indeptus; ſeu à puero, qui in eum florem mutatus creditur, de quo in *Corollario*; ſeu à νάρκη, torpore, quia torpidas capitis gravitates, & dolores facit, teſtib. *Plin. l. 21. c. 19.* & *Plutarch. con. 3. cap. 1. ſymp.* cujus hæc ſunt Verba: Καὶ τὸν Νάρκισσον, ὡς ἀμ-

βλύνον-

NARCISSUS.



βλύνοντα τὰ νεῦρα, καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. Διὸ καὶ Σοφοκλῆς αὐτὸν ἀρχαῖον μεγάλων Θεῶν, τοῦτ' ἐστι, τῶν χθονίων στεφάνωμα προσηγόρευκε. Vocavit eum *Sophocles* magnorum Deorum coronamentum, ſubterraneorum ſcilicet, qui defuncti & morte torpidi, torpido flore merentur coronari.

Germ. Narcißrößlein: Jennetten.
Aprill/oder Mertzblumen. Jonquillen.

II. DIFFERENTIÆ.

TAnta eſt Narciſſorum Varietas, ut difficile ſit omnes certis differentijs, aut ſpeciebus includere. Nos præcipuas ſaltem attingemus.

I. *A ſolo natali.* Narciſſus eſt domeſticus aut exoticus.
II. *A florum numero.* Uniflorus, multiflorus.
III. *A plenitudine florum*, ſimplex, plenus.
IV. *A Foliis*, latifolius, anguſtifolius.
V. *A Colore*, albus, luteus, mixtus, ruber, cœruleus.
VI. *A Calyce*, oblongo & magno, parvo & anguſto.
VII. *A Tempore*; præcox, ſerotinus.

III. SPECIES.

IN catalogo Specierum Narciſſi hunc ſervabimus ordinem.
Narciſſus vel eſt domeſticus, vel exoticus.
Domeſticus eſt vel latifolius, vel juncifolius.
Uterque vel flore ſimplici, vel pleno.

Omnes varijs pinguntur coloribus: Alij calyce curto, alij prolixo inſtructi, & vel præcoces, vel ſerotini.

I. NARCISSUS LATIFOLIUS.

FLORE SIMPLICI.

I. *Narciſſus maximus pallidus.*
II. *Narciſſus maximus cœruleus; medio purpureus; Hiſpanicus.*
III. *Idem albicans; benè odorus, medio-luteus.*
IV. *Narciſſus niveus; ſerotinus; odorus; corolla rubea.*
V. *Idem corolla vel circulo luteo, præcox.*
VI. *Idem circulo luteo, ſerotinus.*

Omnes hi, unum florem ſingulis cauliculis gerunt. Qui ſequuntur, ſuper uno ſtylo plures educant flores.

VII. *Narciſſus Orientalis totus albus, major, multiflorus.*
VIII. *Idem totus albus minor.*
IX. *Idem totus albus calyce ſtellato, & ipſe minor.*
X. *Narciſſus albus πολύανθος, calyce luteo, ſuaveolens: maximus.*
XI. *Idem medius.*
XII. *Idem minimus.*

XIV. *Nar-*

XIV. *Narciſſus Orientalis albus; calyce aureo; pluribus foliolis pleno.*
XV. *Idem calyce rotundo luteo.*
XVI. *Idem pallidus.*
XVII. *Narciſſus albus, circulo croceo, luteo, aut aureo; ſerotinus; polyanthos.*
XVIII. *Narciſſus præcox medio-luteus, gravi odore, calyce fimbriato; Conſtantinopolitanus.*
XIX. *Narciſſus niveus, calyce flavo, odoris fragrantiſſimi.*
XX. *Narciſſus ſylveſtris, luteus; calyce oblongo, Pſeudo-Narciſſus:* Codiaminum, *vel* Codianum, *id eſt, flore codij,* βολβοκώδιον. Theophr.
XXI. *Narciſſus luteus multiflorus; Africanus major: Ægyptius d' Angiers.*

Horum omnium maxima eſt varietas, in foliolis, in tubo; qui vel brevis & capax; vel oblongus & capax: vel anguſtus. Itemque vel flavus, vel croceus, aureus, rubellus. Denique tubus aut calyx vel eſt rotundus, vel inflexus, &c.

FLORE PLENO.

XXII. *Narciſſus albo-luteus plenus.*
XXIII. *Narciſſ. totus luteus.*
XXIV. *Narciſſ. medio purpureus.*
XXV. *Narciſſus totus niveus.*
XXVI. *Idem totus niveus polyanthes, calyce carens.*
XXVII. *Narciſſus Flore variegato.*
XXVIII. *Narciſſus ſylveſtris luteus, duplici aut triplici tubo aureo.*
XXIX. *Idem calyce ſeu tubo diviſo.*

II. NARCISSUS JUNCIFOLIUS.

FLORE SIMPLICI.

XXX. *Narciſſus albus major, autumnalis.*
XXXI. *Idem albus minor.*
XXXII. *Idem medio-croceus, & fimbriâ ſuaverubente.*
XXXIV. *Narciſſus luteus major, oblongo calyce; juncifolius; Africanus; præcox.*
XXXV. *Idem minor.*
XXXVI. *Narciſſ. flore luteo variegato, ſeu flavo, intercurſantibus albis lineis.*
XXXVII. *Narciſſus flore pallido, calyce flavo.*
XXXVIII. *Narciſſus flore rotundo; roſeo; Roſeo-luteus major.*
XXXIX. *Idem minor.*
XL. *Narciſſus totus albus: præcox;* πολύανθος.
XLI. *Narciſſus ſemper florens, totus luteus:* Caccini: *calyce mediocri.*
XLII. *Idem maximo calyce.*
XLIII. *Narciſſus montanus; flore fimbriato, flavo.*
XLIV. *Idem minimus flore albo.*

FLORE

FLORE PLENO.

XLV. *Narciſſus aureus multiplex. Anemones forma flore pleno.*

III. NARCISSUS EXOTICUS.

XLVI. *Narciſſus Indicus; totus ruber; Latifolius: Iacobæus.*
XLVII. *Idem Indicus ex albo rubeſcens: Narciſſus Gareti.*
XLVIII. *Narciſſus Indicus autumnalis maximus.*
XLIX. *Narciſſ. Illyricus; Liliaceus; Conſtantinop. Aſonzenas de las Indias: Lilio-Narciſſus orientalis Platearij.*
L. *Narciſſus maritimus. Pancratium floribus rubris, Marinum.*

Reperiuntur præterea in Germania Narciſſi alij, latifolij Indici, bulbis maximis; quorum flores adhuc ignoti ſunt.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Flos coronamenta & ſerta exornat.

IN RE MEDICA. Bulbus calidæ ſiccæque eſt temperiei. Nonnulli ei eaſdem cum Croco facultates aſſcribunt, in *conſumendo; ſomnum excitando, attrahendo.*

Foris: Commendatur bulbus ad grandia quæque *vulnera nervorum* contrahenda & conſolidanda.

Vix ullum eſt præſentius remedium, quam pulticula parata ex bulbo, folijs, & floribus Narciſſi, in propulſandis doloribus inveteratis *Eryſipelatis.* Quæ ipſa quoq; puls juvat eos, quibus inter eundum *crus*, aut *talus dislocatus*; aut aliud membrum è nativo ſitu egreſſum eſt.

Ex floribus Narciſſi maceratis in oleo olivarum, paratur efficax & celebre *Oleum Narciſſinum*, cujus uſus in *Vulneribus* recentibus: Itemq; in *colica* tam foris illiti, quam intus per *Clyſterem* injecti. Ex ejusdem floribus deſtillatur *Aqua mirabilis*, præſens remedium *Epilepſiæ*, ſi eâ nucha caputq; totum calidè abluatur. Sed ad id multo efficacius eſt *oleum*, quod cum aqua ex floribus exit, & elicitur per artificium chemicum.

Intus: *Dioſc.* refert, bulbos Narciſſi (forte crudos) comeſtos vomitum excitare. Ruſtici eoſdem bulbos, toſtos ſub cineribus, comedunt, quoties *ventriculi roſiones* ſentiũt, ſibiq; metuunt ab hauſto, cum aqua inſalubri, veneno.

V. CULTURA.

MAgna cura non indigent Narciſſi. Solum deſiderant humidiuſculum; ſolutum: ſæpius loco moti multiplicant ſuos flores & ex ſimplicibus redduntur *Pleniflori.*

Propagantur non tam per *ſemen*, (quod pleniflori non ferunt) quam per *bulbulos.*

VI. COROLLARIUM.

VIrgil. l. 4. Georg. vocat *ſera comantem Narciſſum.* Intelligit autumnalem, qui ſerius elabente æſtate comam ſuam explicat.

Narciſſi fabula talis eſt. Echo capta amore pueri Narciſſi, diu illũ eſt inſectata. Sed cum amoris impatientia contabuiſſet, in ſolã vocem deniq; cõverſa eſt, Narciſſus vero

cum

cum adoleviſſet, corporiſq; forma ejus augeſceret indies, venit aliquando ad fontem puræ aquæ, è quo cum æſtu defatigatus, bibiturus, deflexiſſet in genua, ſuam ipſius imaginem in fonte conſpexit. Mox deſiderio ac amore formæ ſuæ ita captus, ut cum ſe nullam comparem ſimilis pulchritudinis indepturum ſperaret, ſuo ipſius deſiderio tandem contabuerit. Deorum autem miſericordia in florem cognominē mutatus eſt.

Fabula notat hominem ſibi vehementer placentem, qui eſt Narciſſus. Echo autem ſignificat jactantiam. Hæc ſpreta mutatur in ſonum, id eſt, rem inanem. Talis enim jactantia. Rectè igitur Echo amat Narciſſum, id eſt, jactantia philautiam. *Ovid. lib. 3. Fab. 7. metam.* prolixè hoc figmentum prolocutus eſt.

CAPUT XIX.

ORCHIS SEU SATYRION.

I. NOMEN.

APpellationem primam *Satyriis* dederunt *Panes, & in Venerem Satyriorum prona juventus.* idq; non unam ob cauſam, 1. Quia Dij illi ſylveſtres, cũ Hamadryadum & Nympharum grege colludentes per ſylvas & prata, hujus plãtæ radice uſi ſint, ut robuſtiores eſſent in officio virili: Seu 2. quia cum ipſi Satyri validi eſſent, & potentes per naturam ad opus Venereum, voluerũt de ſuo nomine plantam nominare, cujus virtute viri mortales ſimili poteſtate donarentur. Ὄρχεις Græcis eſſe id, quod Latinis ſunt teſticuli, aut colei, notum eſt. Hujus herbæ bulbuli partim ſimiles ſunt coleis; partim eorum vim augent in opere naturaliſſimo. Hinc Botanici vocant, *Teſticulum ſeu herbam Teſticularem.*

Priapiſcus: à Priapo tutelari Hortorum Deo, qui membri ſui luculentitate, & tenſione conſpicuus erat, nunquam non pronus in Venerem.

Horminalis ab effectu, dum ὁρμὴν, impetum ſtimuli ſuggerit.

Dioſc. ſcribit à Romanis dici *molorticulum Veneris*, cujus voculæ derivationem neſcire ſe, *Marcellus* fatetur. At meo judicio plana apertaq; eſt. Membrum fœmineum nominari ſolet *Ortus*, ſeu *Hortus*, *Ortulus Veneris* aut *Cupidinis: Apul.*

Thyrſumque pangant ortulo in Cupidinis.

Hic *ortulus* ut colatur bene, auxilio eſt Orchis, quòd ipſum *molere* dicebant Satyrici: *alienas permolere uxores.* Proinde eſt *Molorticulum Veneris*, quaſi herba efficax in permolendo Orticulo muliebri.

Ἐντατικὸν; dicitur ἀπὸ τοῦ ἐντείνεσθαι, ab intendendo & arrigendo.

Ab his appellationib. non abludunt *Belgæ* ac *Germani*: Knabenkraut/ Kulleckenskraut/Grillwurtz/Stendelwurtz/Erdgeil.

II. DIFFERENTIÆ.

ORchidum ſeu Satyriorum termaxima eſt varietas, quæ non ad unum denarium ſed aliquot aſcendit. Quis omnes enarrare queat? *Cornelius Gemma* ſua manu depinxit

ORCHIS SEU SATYRION.



pinxit XXVI. diſtinctas ſpecies, quibus multo plures adhuc addiderunt *Cluſius, Lobelius*, & alij, quæ diſcriminari hunc in modum poſſent.

I. *A folijs.* Satyrium latifolium, anguſtifolium.

II. *A maculis.* foliis maculoſis, non maculoſis.

III. *A floris figura, referentis muſcas, apes, fucos.* Ita eſt Sphecodes, Melittias, Myodes.

IV. *A florum colore.* flavum, album, cœruleum.

V. *Ab odore*, ſuaveolens, hircinum.

VI. *Ab analogia* ſexus, mas, fœmina.

VII. *Ab accidenti*, militaris, morio.

VIII. *A numero bulbulorum*, Monorchis, Triorchis.

IX. *Ab eorundem bulbulorum figurâ, ſimili teſticulis certorum animalium, canis, vulpis, hirci*; ita eſt Cynoſorchis, Serapias, Tragorchis.

III. SPECIES.

I. CYNOSORCHIDES.

HÆ notiſſimæ ſunt & maximæ. Teſticuli illis duo, ſupra quos piloſa fibrarum excreſcentia, quibus tum bulbuli, tum planta nutritur. Inter teſticulos unus ſucculentior eſt & major, alter aridior, ut plurimum depreſſior. Iſte repletus liquore lento, ſimili albumini ovorum. Sapor eſt ſubdulcis aliquantum aſtringens.

I. *Teſticulus canis, vel Cynoſorchis major, princeps omnium; floribus purpureis. Cor. Gemma* putat eſſe *Serapiam Dioſc.* aut *Baſilicam Syderitidem*, vel *Erythræam*; Hundekulleken.

II. *Cynoſorchis major: floribus incarnatis.*

III. *Cynoſorch. major foliis maculatis; jacentibus; flore purpureo.*

IV. *Cynoſorchis minor maculoſa; floribus purpureis.*

V. *Cynoſorch. major. Dodon. ſecunda ſpecies.*

VI. *Cynoſorch. maculata mas; cognomine Morio. Orchis mas: foliis anguſtis; flore conſolidæ Regalis.*

VII. *Cynoſ. maculata fœmina; Orchis Delfinia Gemmæ.*

II. TRAGORCHIDES.

Hæ agnitu faciles ſunt, ob hircoſum & ingratum odorem.

VIII. *Tragorchis communis, floribus ſimilibus barbæ hirci.* Bockskulleken.

IX. *Tragorchis minor, floribus inſtar Cyminum. Corioſmites. Coriophora.*

III. ORCHIS SERAPIAS ſeu VULPINA.

HArum Orchidum flores ſimiles ſunt variis inſectis, muſcis, veſpis, culicibus, fucis.

X. *Orchis culicia major: flore culicem referente: Gall. Moucherau.* Vosſekulleken.

XI. *Orchis culicia minor, Culices minores:* ψίφυλοι.

XII. *Orchis fucoſa prima,* σφηκώδης; δίφυλλος. *Hermaphroditica.*

XIII. *Orchis fucoſa ſecunda; pluribus foliis in caule*, quæ etiam variat magnitudine, & florum colore.

XIV. *Orchis melittias:apicularis.*

XV. *Orchis muſcaria:* μυώδης *major:colore turpi purpureo.*

XVI. *Orchis* μυώδης,*media:colore turpi rubente.*

XVII. *Orchis muſcaria Mompelienſium,flore flavo.*

XVIII. *Orchis veſparia;foliis maculoſis;flore rubro & albo.*

XIX. *Eadem foliis non maculoſis,flore albo.*

XX. *Orchis major Galericata.* Schelmet/offt gewapnet Voſtekullekens.

XXI. *Eadem minor.*

XXII. *Orchis Arachnites,flore ſimili araneis.*

XXIII. *Orchis Batrachides:Ranaria:Satyrion hermaphroditicum.*

IV. ORCHIDES MORIONES.

XXIV. *Triorchis mas.Satyrion Morionis,tribus teſticulis. Orchis morio.* Sottſkulleken/ Ragwortel.

V. ORCHIDES NANÆ ODORÆ.

XXVI. *Teſticulus odoratus,Orchis ſpiralis.* Hanc noſtrates mulierculæ herbilegæ oſtiatim vendere ſolent matribusfamilias, *loco Antirhini*, ad morbos infantum; vocantque Orant. Error eſt & deceptio.

XXVII. *Orchis nana,tribus aut quatuor teſticulis,floribus albis, ad Ideam coronæ diſpoſitis. Triorchis vel Tetrorchis alba. Spiralis autumnalis.*

XXVIII. *Triorchis lutea.*

XXIX. *Orchis ſpiralis minima;latifolia.*

VI. ORCHIDES NOVÆ.

C*Luſius* ſeptem alias ſpecies deſcripſit, quamvis tota natura non differentes ab his, tamen non omnino etiam easdem. Alias etiam *Fabius Columna. Petrus Hondius* harum primus eſt autor ſequentium.

XXX. *Orchis* ἀνθρωπόμορφος*:anthropophora: Oreades,*ſeu *montana, effigie nudi corporis humani.* Ital.*Donzella:* quia flos refert fœminarum Italicarum Ideam, quando illæ lotæ, capita ſua & capillos in ſole exſiccant.

XXXI. *Orchis zoophora.Oreades Cercopithecum exprimens.* Meerkatte.

XXXII. *Orchis macrophylla:* folia ſeſquipedem longa, valde lata. Flores ſunt tanquam canales, quidam rubelli, oblongi, cum prolixa barba.

XXXIII. *Satyrium novum.* Caulis longus ſeſquipalmum, quem ornant tres vel quatuor atro-rubei flores, aſpectu elegantes & rari.

VII. ORCHIDES PALMATÆ.

HÆ quanquam propriè plantæ bulboſæ non ſint, nihilominus ob florum foliorumq; affinitatem; ad Satyria reduci ſe patiuntur. A Botanicis dicuntur *Satyria Baſilica*, vel *Palmæ Chriſti.* Handekenskruyt. Palma Chriſti nomen eſt ὁμώνυμον, attributum diſtinctis plantis. 1. Ita dicitur *Rhicinus*, nota ſatis herba. 2. *Hæc Orchidos* ſpecies, de qua jam agimus.

I. *Orchis*

I. *Orchis palmata pratenſis, major, latifolia, Palma Chriſti major; Satyrium Baſilicum.* Creutzblum.

II. *Eadem minor.*

III. *Eadem anguſtifolia major.*

IV. *Anguſtifolia minor.*

V. *Palma Chriſti maculata.*

VI. *Orchis palmata odorata, caryophyllata.*

VII. *Orchis caſtrata: Satyrium eunuchum.*

VIII. *Orchis paluſtris, major, maculata.*

IX. *Eadem media.*

X. *Eadem minima.*

XI. *Orchis paluſtris major, non maculata.*

XII. *Eadem media.*

XIII. *Eadem minima.*

XIV. *Palma Chriſti, montana, major.*

XV. *Eadem minor.*

XVI. *Palma Chriſti abortiva.*

IV. VIRES ET USUS.

EO laſciviæ devenit humana lubido, ut etiam à ſatyrijs emendicare non fuerit verita, quod tam ad ganeam facit, quam ad laſciviam.

In re familiari. Eſitantur bulbi Orchidum, ceparum inſtar toſti, coctiq; in aquis, prorit andæ *libidinis* gratia: cui rei jam ante diximus famulari omne genus bulboſum. Alicubi locorum condiuntur ſaccaro, & eſitantur in eundem finem.

Proſunt etiam illis qui *macilento* ſunt corpore: qui viribus languent à morbo. Nutriunt enim, & corpori non prorſus nullam alimoniam præbent.

In re medica. Tam *foris* adhibentur orchides, quam *intus*.

Foris. Bulbi recentes *malignis* impoſiti *ulceribus*, ea mundant; neq; ulterius ſerpere patiuntur. *Fiſtulis* quoq; promptè medentur, & oris *ulcuſculis*.

Si *Apulejo* fides adhibenda, bulbi impoſiti *clavis pedum* aut manuum eoſdem tollunt. Succus cum pauxillo mellis *oculis* inunctus, ſiſtit *fluxiones* & *dolores* eorundem.

Intus. Bulbi vino incocti uſurpatiq; à fœminis, mirificè ſiſtunt *profluvium* ſanguinis *menſtruum*.

Ex Teſticulis ſatyriorum parantur in pharmacopolijs medicamenta quædam compoſita, ut *Electuar. Diaſatyrion*, aliquot deſcriptionum, tam ex *Meſue*, quam *Nicolao*, quorum præcipuus uſus eſt in excitanda *Venere*, & promovendo opere naturaliſſimo. Tum item ſi quis per incantationes aut veneficia circumventus non poteſt adverſus maritam virili ſuo munere perfungi.

In parandis *Electuariis Diaſatyriis* curioſè diſpiciendum, 1. *quas aſſumas orchides.* 2. *Utrum ex duobus teſticulis.*

1. Quanquam Pharmacopolæ nonnulli, indifferenter quibusvis utantur Orchidibus,

dibus, diligentiores tamen cæteris anteferunt Tragorchides. Omnium aptiſſimæ & efficaciſſimæ ſunt Orchides Nanæ odoratæ, quas fecimus *quartam ſpeciem*, quæ proinde ab Italis dici meritæ ſunt *Amor di donna*.

2. Cæterum cum ſatyrijs ferè duo ſint teſticuli, nonnullis tres, paucis quatuor; neque omnes ejusdem ſucculentiæ, denſitatis, duritiei, perfectionis: creditum eſt, teſticulum pleniorem, & ſucculentiorem magis potentem eſſe ad coeundi opus promovendum, quam alterum flaccidum & exſuccum. Ab iſto juvari & excitari Venerem: Ab hoc vel extingui, vel ſaltem ſopiri. Rationem diverſitatis reddidit *Gal. l. 8. ſimpl. med.* Quoniam major radix, multa ſcatet excrementitia & flatulenta humiditate. Minor calida eſt & ſicca, quapropter contrarias obtinent facultates. Ea cauſa movit *Galenum*, ut in compoſitionibus *Diaſatyrionis* moneret, non ambos aſſumendos teſticulos, ſed eum qui carnoſior, & ſucculentior, abjecto altero.

Uter autem bulbulorum ſucculentior ſit, oſtendit non magnitudo, ſed denſitas & carnoſitas. Sæpè is qui major, exſuccus eſt & languidus: Minor verò bene habilis & ſucci plenus: Sæpè è contra evenit. Quoad vires, palmatæ Orchides parum videntur differre à Satyriis. Earum radices commendat *Dodon. ex Nicol. Florent.* ad Quartanam; adducto *Nicolai* experimento & hiſtoria.

V. CULTURA.

Nihil hic ſingulare: nihil à cæteris bulbis differens.

VI. COROLLARIUM.

DE *ſatyris*, unde ſibi hæc planta mutuata eſt appellationem, mira & lubrica referunt poëtæ noſtri. Illud miror, nullum prorſus authorem quidquam annotaſſe de illorum origine ac proſapia: Ubi interim vix aliquis eſt patellarius Deunculus, cujus non proferatur Genealogia in Tritavuum uſque & ultra. Cum cæteri Dij gentiles, homines primum fuerint, poſt aſcripti numero Deorum ob memorabile aliquod facinus; ſatyri ne quidem humana forma digni ſunt judicati. Fuere autem haut dubio dæmones mali, impurique ſpiritus, impuritatis volutabro unicè gaudentes, qui illa ſpecie, qua hodienum à pictoribus delineatur, capite cornuto, terribili, auribus longis, labiis prominulis, rictu patulo, corpore hirſuto, cauda equina, pedibus caprinis, genitali rigente, toti bovipedes & hirciformes, nulla re magis quam ſpurcitie ſe produnt. Finguntur ſatyri à poetis Bacchi comites, & fideles ſocienni. Ebrietas enim & ſcortationes, ac mœchimonia, duæ ſunt nativæ filiæ, dignæ illo genitore. Derivatur ſatyri nomen à σάθη, id eſt, membrum genitale. Hinc ſatyriaſis, σατυριασμὸς, notus Medicis affectus, turpiſſimus nec minus periculoſus: Et σατυριάζειν, tali prolubio agitari. Satyra etiam carminis genus maledicum, ebuccinandis hominum turpitudinibus deſtinatum.

Alexander Magnus cum urbem *Tyrum* cinxiſſet obſidione, ſomniavit quadam nocte, ſe eminus videre *ſatyrum*, cum quo luſitaret: qui cum apprehendere volentem ſæpius eluderet; tandem ſe capi paſſus eſſet. Id ſomnium interpretati ſunt vates, dividi oportere nomen Satyrus, ut fieret, Σὰ Τύρος, id eſt, *Tua eſt Tyrus*. Eodem die (qui tum erat ultimus

mus menſis) aruſpex *Ariſtundes* ſacra faciens, ex extis divinavit, fore ut ante ejus exitum Tyrus urbs ab Alexandro caperetur. Deriſus fuit ab omnibus, ſiquidem is ipſe erat ultimus menſis dies, ſed Alexander volens oraculi effatum promovere ac implere, edixit ne quis illum diem pro ultimo menſis, ſed tantum pro 27. haberet. Protenuſq; juſſit urbem aggredi, quæ & ipſo illo die expugnata fuit. Sed hæc *ἐν παρόδω*.

CAPVT XX.

ORNITHOGALUM.

I. NOMEN.

Ορνιθόγαλον, ſi vocis compoſitionem ſpectes, ſonat *lac Gallinæ*, aut *lac avis*: cujus Etymologię rationem ego me non intelligere fateor. Solent quidem homines lautiſſima fruentes fortuna; lac gallinæ ſibi polliceri; ſed figurata loquendi licentia. Quid revera flos hic cum lacte, aut cum gallina commune habeat, præter nudum nomen, non reperio. Si quis per jocum alicui daturum ſe ſtipularetur lac gallinæ, poſſet hanc plantam ex horto aut agris petitam, proferre & offerre. *Marcellus* putat colorem candidum floris, lacti æmulum, ei appellationi anſam dediſſe. Verum neq; flos Ornithogali prorſus lactei eſt candoris; quippe foris viridis, intus quadantenus albus: neque omne Ornithogalum lacteis, ſed quod apud nos frequentiſſimum eſt, luteis floribus exornatur.

Alij ſic dici volunt ob colorem lacteum, ſimilem ei qui in alis aut ovis avium. Sed nihil ad hanc nomenclaturam pertinent alæ, quæ in centies millenis animalibus albæ non ſunt. Nihil etiam huc ova.

Appellatur alias *Bulbus Leucanthemus*: *Edulis*. Gall. *Oignon blanc, champeſtre*. Germ. Veltaijun/Acker oder Feldzwibel.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A colore florum*, Ornithogalum eſt album; flavum.
II. *A quantitate*: majus, minus.
III. *A florum poſitu*, umbellatum; ſpicatum.
IV. *A patria*, Germanicum; Narbonenſe.

III. SPECIES.

I. *Ornithogalum flore albo, majus, umbellatum. Ital. Hyacintho de Patre noſtro.*
II. *Idem medium.*
III. *Idem minus.*
IV. *Ornithogalum floribus ſubcœruleis.*
V. *Ornith. flore albo ſpicatum*; cujus ſpica ſæpè ultra 100. flores continet. Majus; latifolium.
VI. *Ornith. album ſpicatum majus anguſtifolium.*

VII. Or-

ORNITHOGALUM.



VII. *Ornith. ſpicatum flore luteo.*
VIII. *Ornith. ſpicatum flore vireſcente albido.*
IX. *Ornith. ceruleo-pallidum.*
X. *Ornith. luteum campeſtre: minus: vulgare.*
XI. *Ornith. luteum, majus.*
XII. *Ornith. luteum omnium minimum.*
XIII. *Ornith. latifolium Æthiopicum: promontorii* εὐέλπιδος.
XIV. *Ornith. Arabicum: Vngarorum* weiß Hyacinth.

IV. VIRES ET USUS.

PRÆCIPUA ornithogali uſurpatio eſt inter fercula, & in arte culinaria.

Dioſc. ſcribit bulbum ad panum materiam, inter alia, antiquitus aſſumi ſolitum. Ruſtici Itali bulbos Ornithogali albi, coctos ſub cineribus, loco caſtanearum comedunt. Certè in annonæ caritate valde expetuntur. Nam diu conſervari poſſunt in aere, citra corruptionem.

Ex Ornithog. luteo campeſtri vulgari ſapidiſſimum *Acetarium* paratur. Bulbuli coquuntur in aqua: detracta cuticula apponuntur cum pipere, aceto, oleo.

Bulbos porci impenſe expetunt, neque facile abigi ſe patiuntur ab agris, in quibus eorum proventus.

Uſus medicus nondum prorſus innotuit. Alibi Ornith. bulbus imponitur recentibus vulneribus.

V. CULTURA.

NIHIL ſibi peculiare poſtulat à reliquis bulbis Ornithogalum. Campeſtre luteum maxima luxuria provenit inter ſegetes: & floret ac effoditur priusquam ſegetes altius aſſurgant.

Ornith. album floret majo. Circa Junii exitum, nihil amplius de illo ſupra terram exſtat.

Magna luxuria ſerpit per hortos noſtros, & plusquam dici poteſt, multiplicat bulbulos una æſtate.

Ornithogalum Arabicum poſtremum XIV. in ordine, ex Turcia allatum, nunquam viſum eſt his in locis florere. Imo ne folia quidem emittit, niſi per æſtatem aliquamdiu exemptum è terra, & circa autumnum repoſitum. Tum etiam ante hyemem dat foliola. Frigoris impatientiſſimum eſt. Et ſicubi uſu veniat ut hic floreat, tum florem illum in bulbo jam ante præconceptum, & perfectum, ex patria ſua, unde allatum eſt, huc ſecum tulit. Amat hyeme in fictilibus curioſe ſervari loco calido.

Stultitia eſſet aliam quærere hujus plantæ propagationem, quam eam quæ eſt à bulbulis.

VI. COROLLARIUM.

MEDICI quidam hactenus errorem errarunt, arbitrati Ornithogalum arvenſe luteum, eſſe veram glandem terræ; cum tamen tota ſpecie ab hac differat. Glans terræ ad Lathyros, vel cicerculas pertinet, *de qua lib. ſequenti.*

CAPVT XXI.

OROBANCHE.



I. NOMEN.

HÆc herba ejus eſt indolis, ut raro ſola ac ſeorſim naſcatur. Ut plurimum quærit vicinas alias, & iis ſeſe applicat: ſæpe etiam ex aliarũ radicibus pullulat, ſicuti Cuſcuta, vel Hypocyſtis. Quibus vero herbis ſeſe applicat, eas ſuffocando & ſtrangulando interimit. Ab hoc effectu nacta eſt ſua nomina & titulos: Ὀροβάγχη, id eſt, *Eruangina*, quaſi peſtis aut angina Oroborum & Eruorum, quibus familiariter adnaſcitur. φαγόλεθρον eandem ob cauſam. λιμόδωρον, famem afferens herbis vicinis, quarum nutrimentum ad ſe allicit. λεοντοβοτάνη. Κυνομόριον Plin. *l.22.c.ult. à ſimilitudine canini genitalis.* Planta enim à radice ſurgens, nudo glabro & ſingulari caule, in ſummo habet foliola, & flores confertim glomeratos: qua forma caninum genitale: In ſummo eſt craſſum & galeritum. *Herba Tauri*, aut *Vaccæ.* Ajunt enim Vaccas guſtata Orobanche œſtro libidinis agitari & Taurum petere. *Germ.* Schmerkrauth/Sonnenwurtz.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A quantitate* Orobanche, alia major; alia minor.
II. *A radicum forma*, dentata; vel inſtar genitalis Canini.

III. SPECIES.

I. *Orobanche maior; communis; floribus flavis.*
II. *Eadem floribus albis.*
III. *Eadem floribus purpureis.*
IV. *Orobanche, floribus oblongis.*
V. *Orobanche ramoſa.*
VI. *Orob. radice dentata major; Dentaria, Aneblattum, ſeu ἄφυλλον: Agolethros Plinii. Squammaria radix Matth. Malus Henricus*, ſtoltzer Heinrich/Schuppenwurtzel/ Zahnkraut/ Freyſamkraut/Freyslichwurtzel/Ohublat/Blumkraut.
VII. *Eadem minor.*

IV. VIRES ET USUS.

OROBANCHÆ qualitates frigidæ ſunt & humidæ. *Gal.l.8.ſimpl.* frigidam & ſiccam ſtatuit.

IN RE FAMILIARI. *Dioſc.* autor eſt *l.2.c.*131. Orobanches uſum eſſe, dum eſtur oleris modo, tam cruda, quam aſparagorum modo cocta. Creditur etiam (addit *Dioſc.*) leguminibus mixta, inter coquendum eorum cocturam maturare.


Hodie nuſpiam in uſu eſt, quod ſciam. Quin Agricolæ, & Hortulani, omni cura ex ſolo ſuo profligant, quantum poſſunt Orobanche; quod nõ ſolum truncando moliuntur, ſed & plantatis ad quatuor agri angulos Ramulis rhododaphores, vel oleandri; creduntque hoc facto omnem proventum Orobanches intercludi.

Quibuſdam in locis in cibum offertur vaccis, ut largius lac ſubminiſtrent.

IN RE MEDICA. Aqua Orobanches deſtillata cerebro uſurpata, utilis eſt *fluxionibus, convulſionibus* epilepticis, & ſimilibus affectibus puerorum.

CAPVT XXII.

PORRUM.



I. NOMEN.

Porrum vulgariter dictum à *Martiali* uſurpatum eſt maſculino genere.

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides ſtipite cerne comas.

Celſus l.4. c.6. ut cibus ſit quam maxime tenuis & lenis, præcipueq́; ſorbitio, eaq́; ex Ptiſanâ potiſſimum; aut jus in quo porrus cum pullo gallinaceo decoctus ſit.

Dictum creditur exinde, quod ſemper *porro creſcat in capita*, & ſe extendat. *Auth. Priap. Creſcensque ſemper in ſuum porrum caput. Græcè* πράσον. *Germ.* Lauch/Leuchel/Aſchlauch/Eſchläuchel/porrey/porrloock/beeſtlock.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A cultura.* Porrum aliud ſecatur: ſectile, καρτὸν: aliud in caput creſcere permittitur, capitatum, κεφαλωτὸν.

II. *A foliis,* latifolium, juncifolium.

III. *Ab odore,* olens, inodorum.

III. SPECIES.

I. *Porrum commune ſeu vulgare; latifolium, capitatum. Cæpa ſterilis,* Bolſpareye/Bieſslauch.

II. *Porrum ſectivum; tonſile; latifolium: Tarentinum;* Schnittlauch/Spaltlauch/Stucklauch. Hoc à priori nil differt; ſed cum ad juſcula & culinarias coctiones expetitum ſæpius tondeatur, prohibeaturque in capita ſeminalia aſſurgere, dicitur *ſectile,* (eſt ipſum quoque capitatum ſi non ſecatur) ubi prius illud non tonſum, ſuccreſcit in capita. Utrumque ex eadem Origine naſcitur.

III. *Porrum ſectile junceum; anguſtifolium; majus. Cæpa Aſcalonica quorundam: Cepa fiſſilis.* Diſtincta eſt planta à priori illo porro ſectili: (quod veteres ita vocarunt:) quia iſti folia latiora; huic juncea prorſus, & inania: unde ex junco & porro compoſitum accepit nomen, σχοινόπρασον, *Schœnopraſum:* Γήθυον Hollock. Hoc majus porrum ſectile juncifolium rariſſimum eſt: commodius tamen juſculis.

IV. *Idem ſectile, juncifolium, minus,* Γηθυλλίς.

V. *Porrum ſylveſtre, inodorum.*

VI. *Porrum Vinearum; ſylveſtre;* ἀμπελόπρασον, quod modo gemino, modo ſimplici capite.

VII. *Porrum Indum ſeu Indicum;* ad altitudinem ſæpe 4. aut 5. pedum aſſurgit, flore eleganter purpureo.

IV. VIRES ET USUS.

In re familiari. Nihil crebrius innatat juſculis apud nos, quam Porrum. Neque placentæ ex ovis ſapidiores putantur fieri, quam quibus bona pars filorum porri immiſſum eſt. Olim Autore *Iuvenale Sat.* 3. porrus fuit cibus hominum proletariorum. *—quis tecum ſectile porrum Sutor & elixi vervecis labra comedit?* & alioquin tenuioris apparatus. *Hor. l.1. Epiſt. 6.— inde domum me Ad porri & ciceris refero laganiq́; catinum.*

Verum majoris æſtimii fuit apud Iſraelitas, qui eo valde leguntur eſſe delectati. *Num.cap.*11.dum iterum anhelarunt in Ægyptum, ut liceret ſibi porris veſci.

In Gallia panem porro fricant, ut & allio, ad concinnandum illi gratiorem ſaporem. Semen porri in vinum conjectum prohibere dicitur, ne id aceſcat.

Pluribus quidem vitiis porrum ſcatet, (de quibus paulò poſt:) ſed quæ magnam partem tolluntur, ſi neutiquam crudum, at cum herbis frigidioribus coctum eſitetur. Ita enim partim iſtarum frigiditatem calore ſuo corrigit: partim ab ipſis corrigitur, & conducibilius redditur.

In re medica. Porri nonnullæ ſunt noxæ, & incommoda, quibus obeſt valetudini: nonnullæ etiam haut ſpernendæ utilitas. Noxæ hæ ſunt: ſanguinem gignit craſſum, inſomnia cauſat truculenta. Oculis valdè nocet, obſcuritatem viſus inducendo: Inprimis noxium eſt cholericis, & calidioris conſtitutionis corporibus, quorum ſanguinem magis adurit. Ventriculo etiam obeſt; flatus in illis & inteſtinis generans, præcipuè crudum eſum. Caveant ſibi à porro qui affectu renum aut veſicæ laborant. Sed vel maximè caveant, quibus dentes debiliores, & gingiva laxior. Corrumpit enim dentes; gingivam putrefieri & anhelitum inſigniter fœtere facit. Unde illud *Martialis lib.*13.*ep.*15.

Fila Tarentini graviter redolentia porri,
Ediſti quoties; oſcula cluſa dato.

quod tamen vitium tollitur *ſi pallentes grana cumini,* ut *Poeta* canit, ſupermanduntur.

Præterea nocet porrum nervis. Corporibus maciem conciliat. Sed hæc incommoda tolluntur, ut dixi, aliquo modo iterata coctione. Succus porrorum crudus hauſtus præſens eſt venenum, cujus effati experimentum hujusmodi protulit *Plin. l.*19.*c.*6. *Fama eſt, inquit, Melam equeſtris ordinis reum, in ſumma deſperatione, ſucco porri ad* III. *denariorum argenteorum pondo hauſto, confeſtim exſpiraſſe ſine cruciatu. Scal.Exer.*153.§.5. cauſam quęrit, *cur ſuccus porri lethalis ſit? tota vero planta comeſta nō ita noceat?* haut ſecus ac Hiucę ſuccus (herba eſt Americana) lethalis; farina ſalubris. *Ratio* (ait Scaliger) *pendet à duplici cauſa:* Una *eſt partium tenuitas, unde facilitas penetrationis. Altera eſt libera qualitas ac facultas ad nocendum in ſucco ipſo, poſteaquam ſoluta eſt ſocietas, quam inierat cum terreſtri parte, à primordiis ortus ipſius plantæ; quæ pars adverſa ferociam ejus ita cohibebat, quemadmodū craſſitie ſua tardabat celeritatem.* Commoda porri ſequuntur, vel *interius* vel *foris* adhibiti.

Foris: Porrum incoctum aquæ marinæ proficuum inſeſſum, aut balneum præbet fœminis, quibus vel obduruit, vel obſtrictus eſt *uterus*. Folia cocta, foris applicata *hæmorrhoidibus*, ſedant dolorem efficaciter.

Aqua è radicibus deſtillata, bombace excepta inditaque naribus, *hæmorrhagiam ſiſtit*. Idem facit ſuccus aceto mixtus, illitus fronti, docente *Dioſc.l.*2.*c.*138.

Eâdem aquâ deſtillatâ proficuè abluuntur vulnera, ſcabies & tumores *genitalium*. Folia porri cum ſale, impoſita tumoribus, eosdem promovent ad rupturam & apertionem. De porro tale circumfertur experimentum, ſi quis periclitari volet, num membrum amputandum, verè ſyderatum & Sphacelo tactum ſiet; partem eam porrorum, quæ vireſcit, id eſt, fila contundat, & una nocte membro ſuperponat.

Id ſi

Id ſi poſtridie livorem aut nigrorem nonnihil exuerit, ſignificabit vitale adhuc eſſe. Sin minus; mortuum, & amputandum. *Interius.* Porrum lentore ſuo faucium aſperitatem delere, & *vocem* facere *canoram*, non tantum docent nos (*Ariſt. referente*) perdices, quæ eo veſcuntur; ut clarius & liquidius canant: ſed etiam Imperator *Nero*, quem *Porrophagum* Hiſtorici appellant, qui ſtatis omnium menſium diebus porrum voravit ex oleo, ad conciliandam vocis præſtantiam, quando illi certamen fuit cum *Phonaſco* cantore.

Inprimis commendatur porrum, ad faciem, & *thoracis affectus*, tam radices toſtæ ſub cineribus, quam folia & horum ſuccus. In Pharmacopoliis huic fini dicatum proſtat *Loch de praſio*, ſeu *porro*. Sequens *Looch*, cujus magna efficacia, in tollenda *angina, catharrisque* frigidis pituitoſis, eſt parentis noſtri *Gul. L. D.*

Recipe *amygd. dulc. mund.* ℥iij. *Ficuum, Num.* iiij. *Bdellii moll.* ℥j. *Saccari candidi, in ſucco porrorum diſſolut. & cocti in conſiſt. ſyrup. q. ſ. excipiendis prædictis. Succi liquir.* ℥ij. *miſc. Vtatur lambendo: faucibus humectatis intincto porri capitulo.* Radices toſtæ promptè auxiliantur iis, qui *fungos venenatos* comederunt; itemque qui ex *nimio potu* malè habent. Succi porri momentum cum vino hauſtum, fœminarum *parturientium* conatum promovet. Aqua deſtillata menſe Junio, pondere ℥ij. mane & veſpere bibita, commendatur *ad urinæ* difficultatem, & *arenulas* renum & veſicæ.

V. CULTURA.

PORRUM quovis ſolo provenit: Lætius tamen in pingui, ſoluto, & bene levi.

Duplex ejus propagatio: 1. tardior *ex ſemine*: 2. celerior *ex bulbulis*.

Porrum non tonſum capitula fert, & in his *ſemen*; quod hortulani ſerere jubent exitu autumni & initio veris, ut tandem adoleſcat in plantam. Sed ea res longæ moræ eſt, multo magis induſtrio colono parebunt *bulbulorum* faſciculi divulſi, plantatis ſigillatim bulbulis, qui brevi in amplum acervum promoventur.

Junceus porrus, hollook, circa Jacobi diem eximitur tellure. Bulbuli divelluntur, circa Michaelis replantantur, quique ſeorſim. Sic habentur novellæ cepulæ primo ſtatim vere. Cum tondetur porrum, inſpergendus eſt cauliculis exſectis pulvis aut arena, ut avertatur pluvia à canaliculis, & ne humor nativus nimium exſudet.

VI. COROLLARIUM.

Folia porri, antiqui *Fila* vocabant. *Mart. d. l.*

Fila Tarentini graviter redolentia porri. Et Juven. Satyr. 14.

Filaque ſectivi numeroſa includere porri.

Intelligit hominem parcè parcum, qui foliola porri ſectilis, numerari conſueverit, & cellæ includere. Amatorum vel Cupidinis crumena porri foliis vincta dicitur proverbio: πρασου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντιον: ſcilicet quia per amoris ſtultitiam multa inſumunt luxuriosè viventes, habentq; loculos ſemper apertos. Duæ voculæ πράσιον & πράσον, affines valde ſunt, ſignificantes tamen plantas diſtinctiſſimas; πράσιον marrubium; πράσον porrum. Veteres vero Græci plures plantas marrubio πρασίῳ ſimiles dixerunt. Eas omnes *Plin.* non ſine gravi ablucinatione fecit πράσῳ ſeu porro ſimiles; deceptus vocis affinitate. Sic Stachyn, Horminum, Balloten, foliis porri conſtare dixit, loco marrubii.

CAPUT

CAPVT XXIII.

SCILLA.



I. NOMEN.

GRÆCUM nomen Σκίλλα; nondum ſciverunt aut voluerunt in ſuam Dialectum transformare Romani: ſed illud quale acceperunt, tale retinent. Multò alia eſt *Scylla* monſtroſa vorago marina, è regione Charybdi poſita, naufragijs famoſa. Alia item *Scylla* piſcis genus, de qua *Horatius:*

Affertur Scyllas inter murœna natantes,

Seplaſiarij corruptè appellant *Squillam*, dicitur Græcis etiam σχῖνος, quæ vox tam *Scillam* ſignificat, quam *Lentiſcum*, ut monebimus in *Corollario.*

Quibusdam *cepa muris, cepa maris vel marina,* Germ. Meerzwibel/ Sceaiun.

II. DIFFERENTIÆ.

Non ſunt multæ hujus ſtirpis varietates.

I *A colore radicis.* Scilla alia alba, alia nigra.

II. *Ab uſu.* alia venenoſa, Pancratium: alia edulis.

III. SPECIES.

I. *Scilla vulgaris, rubra, aut nigra potius, Squilla fœmina: Hoc eſt Pancratium Dioſc. Dodonæo & plerisq; authoribus.*

II. *Scilla radice alba, mas, Hiſpanica, cepa marina.*

III. *Scilla Epimenidia; eſculenta; dulcis, candida; legitima.*

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Nemo ſit tam à ratione averſus, ut ſcillam crudam, inprimis Pancratium, in ventrem ingerat, niſi preſenti periculo caput ſuum objectare ſatagit. Inprimis ab ejus uſu caveant ſibi gravidæ. Caveant etiam ſibi, quibus interanea ulcere aliquo obſeſſa ſunt, quacunque etiam diligentia parata ſit Scilla. Hiſpani, ſi quem vident Pancratij bulbos colligentem, amicè monent, ne quid eorum deguſtet. Fore aliàs ut protenus ſibi concinnet interitum. Patribusfamilias Ruſticis experimentum aliquod de ſcilla commendat *Conſtantinus Cæſar, Geopon. lib.* 17. εἰ δὲ μὴ προσδέχονται τοὺς ταύρους αἱ βόες, σκίλλης τὸ περικάρδιον μετὰ ὕδατος τριπλέον, καὶ περιχριστέον τοῦτ᾽ ἔστι, τὰ ἁπαλώτατα τῆς σκίλλης, καὶ ὡς ἂν εἴπῃ τις, τὸ στέαρ, διδόναι μετὰ τὴν κάθαρσιν τοῖς μορίοις τῶν βοῶν.

Si quis paterfamilias domo ſua expellere geſtit glires muresque, is aquam è Scylla ſtillatitiam alicubi collocet, quam ubi deguſtaverint glires, mox intereunt. Credibile eſt ab hoc effectu, ſcillam appellatam cepam muris.

IN RE MEDICA. Uſurpatur *extus* & *intus.*

Exterius: tam *folia* quam *radices* applicantur corpori ad varios affectus.

Folia ſtrumis impoſita, eas tollunt, diſcutiendo. Medulla bulbi, oleo aut terebinthina incocta, vel ſub cineribus toſta, proficuè imponitur *fiſſuris* artuum, & *pernionibus*, & *Verrucis.*

Oleum Scilliticum, pilos facit creſcere, affrictum parti glabræ. *Dolores* quoſvis mitigat; & *luxatos artus* juvat.

Interius. Bulbus ſcillæ ut uſibus internis aptus fiat prius peculiari ratione coquendus & præparandus eſt, quo exuat nocivam ſuam virulentiam. Seu decoquitur in aqua, facta nova affuſione, quoad ſcilla omnem amaritudinem, ingratumque ſaporem exuerit: ſeu fermento, aut paſtæ farinaceæ involvitur, coquiturq;, vel ſub cineribus, vel in olla, vel in furno piſtorum. De præparatione plura traduntur in *Pharmaceuticis libris.*

Medicamenta è ſcilla parata pro interno pręcipuè uſu, ſunt, *Trochiſci ſquillitici, Acetum ſcillinum,* vel *ſcilliticum,* addito mellis momento. Item *Vinum ſcilliticum. Trochiſci ſcillitici* una cum *Trochiſc. de Vipera* ingrediuntur compoſitionem *Theriacæ. Meſue* ſcribit, horum Trochiſcorum ℥ij. uſq; ad ℥iiij. educere humores craſſos. Sed *Braſſav. exam. Catar.* docet exhibuiſſe ſe ℥vj, verum nihil effeciſſe. *Acetum ſcilliticum,* ante omnia commendatur in tollendis *tumoribus* & *obſtructionibus Lienis*; in pręcavenda omni interna *putredine*; roborandis partibus diuq; ſervanda juventute: ſed uſus reddit homines macilẽtos.

Idem *gingivam* laxantem reſtituit, firmatq; *dentes,* ſi os eo colluatur, tandemq; corrigit animam fœtentem.

Meſſue, Haly, alijq; tradunt, ſcillam eſſe medicamentum *melanagogum*: ſed experientia nondum oſtendit atram bilem ab illa educi. Expellitur autem *pituita,* ſaburraque in inteſtinis aſſervata. *Braſſav. Exam. Cat.* obſervavit, prçlaudati *Aceti ſcillini* ℥j. à ſe propinatam ægris, cum Syrupis incidentibus, rariſſimè, imò nunquam aliquid humorum eduxiſſe.

Præcipua verò facultas Scillæ incidens eſt, attenuans, diſſipans; quo nomine medicamina ex ea parata, commendantur ad affectus, in quibus humores craſſi incidi debent, attenuari, & apti fieri expulſioni. *Vrinam* movent: Vaſa *obſtructa* reſerant, adeoq; utiliter uſurpantur in *calculo, dyſuria, ictero, aſthmate,* ubi pectus craſſis humoribus obſeſſum eſt. *Vermes* latos expellunt.

Plinius annotavit, tolli Hydropicorum *ſitim,* ſi lamella una, aut altera bulbi ſcillæ, linguæ ſupponatur.

V. CULTURA.

HIc locorum nuſquam, niſi in hortis, & raro admodum invenitur Scilla. Bulbus ſæpè magnum malum citrium adæquat; cujus fruſtula, ſi terræ levi, & bene cultæ imponantur, facilè comprehendunt, & in plantam adoleſcunt.

VI. COROLLARIUM.

UNa eademq; vox σχῖνος Græcis ſignificat duo tota ſpecie diſtincta ſtirpium genera. 1. *Lentiſcum fruticem,* è cujus ligno dentiſcalpia fiunt, cuſpides illæ repurgandis dentibus accommodę, ob vim adſtringentem. 2. Scillam hanc, de qua pertractatum eſt à nobis hoc capite.

Hæc vocis homonymia, plurimis antiquorum impoſuit, (quorum veſtigia preſſerunt juniores) ut Lentiſcum pro Scilla; & Scillam pro Lentiſco acceptarint, & quæ unius ſunt proprietates, eas aſſcripſerint alteri, magna hercles rei Botanicæ confuſione.

De Lentiſco prodiderunt litteris, Aratus in Phęnom. *Conſtant. Geop. cap.* 21. *Cicero lib.* 1. *Divin. Plin. l.* 18. *c.* 25. Lentiſcum fruticem *ter annuatim fructus ferre,* & ita oſtendere

tria commoda aranditempora. At vero non Lentiſcus;ſed Scilla id facit. Lentiſco nihil tale convenit. Scilla verò videtur tribus temporibus flores ſuos oſtendere & depromere. *Arati verſus hi ſunt:*

Τρίπλόα δὲ σχῖνος κυέει· τρισσαὶ δέ γε αὖξαι
Γίνονται καρποῖο, φέρει δέ τε σήμαθ᾽ ἑκάστῳ
Ἐξείης ἀρότῳ. καὶ γάρ ἀροτήσιον ὥρην
Τριπλόα μείρονται, μέσσην καὶ ἐπαμφοτέρας ἄκρας, &c.

Conſtantinus ſic habet: Ἡ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει, καὶ εἰ μὲν ὁ πρῶτος καρπὸς καλὸς γένηται, τὸν πρῶτον σπόρον καλῶς καρποφορεῖν σημαίνει. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Aratum* ita interpretatus *eſt Cicero:*

Iam vero ſemper viridis, ſemperque gravata
Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fœtu.
Ter fruges fundens tria tempora monſtrat arandi.

Hos *Ciceronis verſus* allegat *Plinius*, l.18.*c.*25.

Quod omnes hi authores lentiſco attribuunt decepti vocabulo σχῖνος, id Scillæ vel maximè convenit. Lentiſcus certè neq; ter neq; bis, neq; omnino particulatim floret, ſed ſemel quotannis menſe Aprili. At ſcillam flores emittere, particulatim, tribus diſtinctis temporibus, cum experientia quotidiana teſtatur, tum olim docuerunt *Theophr. l.*7.*c.*12.*hiſt. Plin. l.*21.*c.*17. *Feſtus Avienus* his verſibus:

Ter prorumpentis ſcillæ teres erigitur flos,
Sulcandique ſolum ter monſtrat tempus adeſſe.


Nam *Aratus* poſtquam Lentiſco hanc ternam ἄνθησιν tribuerat, (falſo, ut dixi) etiam eandem de ſcilla pronunciavit:

Ὅσσα δ᾽ ἐπὶ σχίνου ἀροτὴρ ἐπιφράσσατο καρπῷ
Τόσσα καὶ ἐκ σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθει λευκῷ.

Porrò quod ſcilla dicitur ter florere, id non tam craſſe intelligendum, quaſi ποιεῖ τρεῖς ἀνθήσεις, quaſi diſtinctis vicib. tribus intermittat, & repetat floriferium ſuum. Id enim ab obſervatione & veritate alienum. Sed τὸ τρὶς ἀνθεῖν accipiendum, uti id interpretatus eſt *Theophr. hiſt. l.*7.*c.*12. de particulari florum protuſu μερικῶς. Loquens ille de *Albuco* ait, τὴν ἄνθησιν ποιεῖται κατὰ μέρος, ὥσπερ ἡ ἐπὶ τῆς Σκίλλης. Ἄρχεται δὲ πρῶτον ἀπὸ τῶν κάτωθεν. Nimirū inter bulboſas plantas Scilla & Aſphodelus, ob alimenti copiā diutiſſimè florent, facto initio ab una parte caulis. Auguſti initio Scillæ caulis aſſurgit cubitalis, denſiſſime ſtipatus florib. qui primi diducuntur; ac interim dum aperti vigent, medij turgeſcunt: ſupremi gliſcunt duntaxat, quæ eſt πρώτη ἄνθησις. Exactis aliquot diebus, flores qui primi recluſi fuerant dilabuntur, medij ſeſe proferunt: ſupremi tantum intumeſcunt, quæ eſt ſecunda ἄνθησις. Poſtremò defluentib. medijs, ſummi ſeſe explicant, quæ tertia ἄνθησις. Hic floreſcendi ter repetitus impetus, terram quoq; ter ſubigi oportere denuntiat, priuſquam fruges ſerantur. *Theognidis* de ſcilla verſus legitur. Οὐδὲ γὰρ ἐκ Σκίλλης, ῥόδα φύεται. A re fœtente noli præſtolari odorem ſuavem: ab homine ſcelerato opera virtutis. *Plut. in Pericle* narrat, ipſi nomen adjectivum datum fuiſſe, ob caput ſimile ſcillæ bulbo. Οἱ δὲ Ἀττικοὶ ποιηταὶ σχινοκέφαλον αὐτὸν ἐκάλουν. Τὴν γὰρ σκίλλαν ἔστιν ὅτε καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι.

CAPUT XXIV.

TULIPA.



I. NOMEN.

TVlipas dictas volunt à pilei Sclavonici ſimilitudine, qui Turcis dicitur *Tulipant, Dulpant, Dublent*. Hunc pileum forma videntur exprimere hi flores. Apud priſcos an nomen invenerint, incertum eſt; Quippè ipſa planta iis ignota fuiſſe videtur. Neque enim *omnia grandior ætas*

Nos quæ ſcimus, habet; ſeris venit uſus ab annis.

Sunt tamen qui rentur eſſe πιτυῶνα *Theophr.*

Alij *Satyrium Erythronium*, ob rubrum floris colorem.

Alij *Narciſſum rubrum Pliny.*

Alii *Coſmoſandalon.*

Omnia ſunt incerta, & plena conjecturarum.

Vocatur & *Lilio Narciſſus.*

Turcis dicitur *Caſa Lale, Ale, Zambul.*

Germ. Tulipe/Thumpal. *Petrus Hondius* vocat Tulpel: quo nomine ſolemus per ignominiam appellare homines inurbanos, & ruſticos. Narrenkruijd: quia in nullo flore ita inſanitur, ut in Tulipa: nataque inde eſt *Tulipomania.*

II. DIFFERENTIÆ.

TULIPARUM differentiæ ineffabiles ſunt, ſi colorum pulcritudinem videas, & ter maximam varietatem. *Petrus Hondius lib. Belg.* De Mouffeſchantz/ provocat in certamen pictores omnes, ajens, in horto ſuo plures colorum differentias in ſolis Tulipis notari, quam ullius pictoris cognitio, aut experientia nominibus convenientibus exprimere valeat.

Amſterodami venalia proſtant innumera Tuliparum genera; quarum Icones non ſolum vivis coloribus eleganter expreſſæ, Emptoribus primum inſpiciendæ offeruntur: ſed etiam Tulipæ ipſæ nominibus proprijs inſignitæ: Guldenlacken/ Silberlacken/ Königinne Eſter/ Borger/ Bagine/ Schwitzer/ Rulant/ Paſant/ die Kron/ Doelmans/ Cornart/ Rockenacker/ &c.

Nos ſex differentijs includemus latepatentem hanc varietatem.

I. *A Tempore florendi*: Tulipa eſt præcox: ſerotina: & media.

II. *A colore*: aliæ ſunt albæ: aliæ rubræ: flavæ: ſubvirides: (venditant quidam, neſcio an verè, cœruleas etiam ſe habuiſſe) & ex horum duorum, aut plurimum colorum concurſu mixtæ: flavo-albæ: rubro-albæ flavo-rubræ &c.

III. *A magnitudine*: majores, nanæ.

IV. *Ab odore*: quædam ſuaveolentes; quædam inodoræ.

V. *A florum plenitudine*: aliquæ ſimplices, aliquæ pleniſloræ.

VI. *A foliis*, latifoliæ, anguſtifoliæ.

Harum præcipuas enumerabimus. Omnes recenſere, neq; nos, neq; quiſquam poterit. Natura enim & ars mire ludunt in hoc flore; & annuatim colores mutant, aut corrigunt. Lubens ſciensque præterij diſcrimina, quę peti poſſent (7) *à foliorum magnitudine*

tudine aut anguſtia. (8) *à foliorum numero in floſculis*, quæ nunquam quidem pauciora ſex: at ſæpè plura. (9.) *Ab eorundem foliorum in flore figura*, quando vel omnia ſex ſunt acuminata: vel omnia ſex rotunda: vel tria acuminata, tria rotunda, &c. (10) *A carina vel fundi colore*, qui modò niger; modo cœruleus, viridis, flavus, ruber, miniatus, mixtus: (11) *A ſtaminum colore & figura*. His, inquam, differentijs miſſis, contenti erimus enarrare ſequentes ſpecies tres. I. Tulipas præcoces. II. Mediæ ætatis. III. Serotinas.

III. SPECIES.

I. *TVLIPAE PRÆCOCES SIMPLICIS COLORIS.*

I. T*ulipa lutea.* Ut color flavus recipit varios gradus intenſionis, & remiſſionis: ita etiam hæc Tulipa variat maxime in flavitie: viſiturque *aurea, crocea, ſpicea, lutea, calendulata*, &c. & modo odora, modo odoris expers. Fundus etiam variabilis eſt. Obſervavi hic varietates ſex. I. II. III. IV. V. VI.

VII. *Tulipa rubra.* Hujus tot ſunt varietates, quot coloris rubei differentiæ. Innumeræ fere. Eſt *rubra, ruffa, obſcurè rubens: intenſe rubens, miniata, ſanguinolenta: incarnata: carmeſina: blande purpuraſcens: purpurea: atropurpurea*: quaſi ex rubello & violaceo mixta: *alborubella* &c. Obſervavi varietates quatuordecim. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.

XXI. *Tulipa alba.* Cum primum prorumpit, paululum inclinat ad flavitiem: mox niveo candore albeſcit Interdum in oris rubellæ quædam guttæ, aut lineæ ſubnaſcuntur. Sæpè etiam dorſi ſpina ad virorem nonnihil inclinat. Sed tum accenſenda venit Tulipis variegatis.

XXII. *Tulipa cœrulea.* Quanquam hæc ambulet per ora Tulipiſtarum, & ſummam poſſideat laudem tum elegantiæ, tum varietatis; nunquam tamen vel viſus fuit mihi ullus ejus poſſeſſor; vel lectus quiſquam Botanicus, qui à ſe viſam ſcripſerit. Credo equidem rariſſimum eſſe florem; quia tam inſolens eſt hortis. *Geſnerus* primus Tuliparum aſſertor: *Cluſius* curioſiſſimus earum indagator: *P. Hondius* ditiſſimus earum poſſeſſor, fatentur neq; oculis, neq; manibus ſe Tulipas cœruleas unquam uſurpaſſe. *Bauhinus in Theatr. Botan.* profitetur in horto ſuo ſuccreviſſe Tulipam pallidè violacei coloris. Sed is dilutè fuit purpureus potius quam cœruleus. Nihilominus data eſto aliqua ſedes Tulipæ cœruleæ in hac ſerie: ſicubi fortè adhuc apud aliquem raritatum conquiſitorem deliteſcat.

XXIII. *Tulipa viridis.* Audivi etiam hanc à nonnullis poſſideri. Mihi nondum licuit videre totam viridem, maturam, ſtatæ ætatis, coloris conſtantis: ſcio enim omnes Tulipas, imo omnes fructus & flores primulum prorumpentes, viriditatis participes eſſe. Virides quidem Tulipas educavi in hortis; verum non præcoces neque omnino virides, ſed marginibus rubellis ac purpureis.

COLORIS VARIEGATI.

XXIV. *Tulipa præcox rubra variegata.* Cum rubro colore in Tulipis concurrunt duo colores alij, flavus & albus; qui mixtura ſua producunt admirandam illam varietatem, ob quam Tulipæ uſq; adeo factæ ſunt commendabiles. *Fundamentum* hic eſt *Rubedo*, cujus dixi reperiri in colore ſimplici varietates XIV. Cum his XIV. generibus non ſolum omnes flavedinis & alboris differentiæ concurrunt; ſed & miris modis concurrunt. Nunc margines circumcirca omnes: nunc ſaltem in alternis folijs: nunc ſpina dorſi; nunc interior carina pingitur. In alijs oblongæ ſtriæ, tanquam flammæ. In alijs puncta aurea. In alijs alia eſt picturæ facies. Tuliparum ex rubro flavo commixtarum varietates notæ ſunt duodecim. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.

XXXVI. Tuliparum ex *rubro alboque* mixtarum varietates notæ ſunt decem. XXXVI. XXXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV.

XLVI. *Tulipa roſea variegata, πολυανθὴς pleni- ſeu multiflora.*

XLVII. *Tulipa flava variegata.* Heic *baſis* eſt *color flavus*: Picturæ varietatem facit rubedo polydædala; roſea, miniata &c. alia, atq; alia idea nunc has, nunc illas foliolorum partes inveſtiens. Varietates ſunt novem. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. LV.

LVI. *Tulipa alba variegata. Fundamentum* eſt *albedo.* Maculæ, ac ſtriæ, ac flammæ exornantes albedinem, modo hic, modo illic, nunc hac, nunc illa facie, ſunt de colore rubro, miniato, incarnato, purpureo &c. In nonnullis etiam de viridi. Varietates notãtur ſedecim. LVI. LVII. LVIII. LIX. LX. LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. LXX. LXXI.

LXXII. *Tulipa Appenninæa, Bolonienſis, ſuaveolens, minor ſeu pumilio, rubro variegata.*

LXXIII. *Tulipa Bizantina ſingularis, vel altera*: (ad diſcrimen cæterarum. Omnes enim Origine ſunt Bizantinæ, quia primum Conſtantinopoli allatæ: Sed hæc κατ᾽ ἐξοχὴν ſic appellatur.) Flos foris albo-viridis: intus rubro-purpureus. ſæpè ex ſuperiori folio emergit alius, cum flore proprio, unde ab *Italis* dicitur *Lale de duei fiori.*

II. TVLIPAE MEDIAE INTER PRAECOCES & ſerotinas.

CUM præcoces flacceſcunt, accingentes ſe ad ſeminificium, tum hæ mediæ ætatis florere incipiunt: veluti his medijs emortuis, ſerotinæ ſe incipiunt oſtentare.

COLORIS SIMPLICIS.

LXXIV. *Tulipa dubia flava, odora*: color hic maxime differens eſt; qualis pomorum *Aurantiorum*; *Auri Rhenani*: *ſulphuris, ſegetis maturæ.* Varietates numerantur quinque. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII.

LXXIX. *Tulipa media rubra.* Hujus quoque uberrima eſt & diſtinctiſſima copia. Obſervantur in ea plæræque omnes rubei coloris differentiæ, quæ in præcocibus. Notæ ſunt varietates decem. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXXVII.

LXXXVIII. *Tulipa alba: modo pallens: modo nivea: modo medij coloris.* Varietates quatuor, LXXXVIII. LXXXIX: XC, XCI.

COLORIS MIXTI.

XCII. *Tulipa viridi--rubea.*

XCIII. *Tulipa rubra variegata.* Fundamentum eſt *Rubedo.* Accedens pictura eſt à flavo viridique colore, mirifice ludens. Varietates obſervantur duodecim. XCIII. XCIV. XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C. CI. CII. CIII. CIV.

CV. *Tulipa flava variegata.* Baſis eſt color *flavus.* Maculæ ſunt à rubedine & virore. Varietates novem. CV. CVI. CVII. CVIII. CIX. CX. CXI. CXII. CXIII.

Harum mediarum Tuliparum quædam ſunt majores & albæ: quædam pumiliones & nanæ: quædam mediæ; Aliquæ item odoræ, aliquæ ſine odore.

SIMPLICIS COLORIS.

CXIV. *Tulipa lutea, aurea, crocea.* Ejus varietates Tres. CXIV. CXV. CXVI.

CXVII. *Tulipa rubra:* varietates quatuor. CXVII. CXVIII. CXIX. CXX.

CXXI. *Tulipa tota lutea flore pleno.*

CXXII. *Tulipa alba.*

CXXIII. *Tulipa viridis pleniflora rariſſima.* Flos ſex magnis folijs viridibus componitur: intra quæ ſex alia viridia item conſpiciuntur, efformantia caput braſſicæ floridæ.

DUPLICIS COLORIS.

CXXIV. *Tulipa variegata alba; interſtincta maculis rubeis.* Varietates habet ſex. CXXIV. CXXV. CXXVI. CXXVII. CXXVIII. CXXIX.

CXXX. *Tulipa rubra, fundo nigro cœruleo,* in quo ad ſolem forma apparet oculi humani, unde ab *Italis* dicitur *ochio di ſole*: tam ſuavis autem odoris, ut non poſſint lilia convallium eſſe ſuaveolentiora.

CXXXI. *Tulipa nivea variegata,* picta maculis, itemque ſtrijs rubellis. Varietates agnoſcit ſex. CXXXI. CXXXII. CXXXIII. CXXXIV. CXXXV. CXXXXVI.

CXXXVII. *Tulipa viridis verſicolor, oris pallidis.*

CXXXVIII. *Tulipa viridis variegata,* parte media viridibus ſignaturis: altera rubra.

CXXXIX. *Tulipa ramoſa major,* πολυκλάδη vel πολύκλωνος. Plures caules ex uno bulbo naſcuntur, quiſque ferens ſuum florem; qui tamen ſi plures ſunt quaternis, aut quinis, raro debitam perfectionem indipiſcuntur. Varietates ſunt duæ: Eſt enim & rubro & flavo colore CXXXIX. CXL.

CXLI. *Tulipa ramoſa, minor.* Varietates duæ, ſcilicet rubro & flavo colore. CXLI. CXLII.

CXLIII. *Tulipa Apenninæa, Bolonienſis, flore flavo,* foliolis ſæpè octonis, interdum ſenis. Fert caules quandoque duos, aut tres; & florem in ſingulis.

CXLIV. Totum hunc Tuliparum cohortem claudat *Tulipa variegata Perſica,* habens folia tria interiora alba, tria exteriora rubra.

IV. VI-

IV. VIRES ET USUS.

QUANTI fiant Tulipæ propter Florum elegantiam, quam addunt tum hortis, tum feneſtris, quæ ijs exornantur, nimis notum eſt.

IN REM FAMILIAREM, & ad uſum culinarium, hactenus non fuere aſſumptę Tulipæ. Ante non ita multos annos cœperunt quoq; bulbi illarum culinis inferri, & præparari in guloſum, neq; ingratum ferculum, quo non ſolum creditur corpori laudabile alimentum adjungi, ſed & ſtimlus addi exercitijs venereis. Aſſantur Bulbi ſub cineribus; vel coquuntur in aqua; & apponuntur cum aceto, oleo, ſale, pipere. In eum finem ſolent à nonnullis integra jugera conſeri ſeminibus Tuliparum quotannis, aliquot annis ſuccedentibus, ut paulatim ſuccreſcentes Bulbuli annuatim poſſint depromi, non in gratiam florum, ſed ob ea quæ dixi fercula. *Pet. Hond. lib.* Mouſſeſch. ſalſe ridet, & ludos facit Tulipiſtas, quorum Theſaurus, & anima eſt in hoc bulbo, quem ipſe nihilo pluris facit quam rapum quo venter expletur.

V. CULTURA.

OMNIS Tulipa odit ſolum denſum, compactum multo fimo perfuſum. A fimo enim prompta Tulipis putredo. Hilariter florent in ſolo tenui, levi, bene commoto, non ſtercorato, non lapidoſo; cui pulvis ſalicum putridarum, aut quercuum permixtus eſt.

Propagatio Tuliparum eſt duplex: Una per *ſemen*, Altera per adnatos *bulbulos*.

I. *Semen* mature ſcit Autumno; quo etiam tempore commodiſſime iterum terræ redditur. Si in ver uſq; expectaris, non quidem totam operam luſeris, ſed tamen multum retardaris: neq; tam laudabiles flores accipies. Id verò præmonitus eſto, à ſemine quæ exſpectatur propagatio, eam tardiſſimam eſſe, indeq; vix ante ſextum annum, ſæpè ſeptimo aut octauo, nono, decimo, flores perfectos exſpectandos.

Quanquam autem cujusvis coloris Tulipæ, ſemen dent genitale, Sationi aptum; tamen non fuerit conſultum ab alijs, quam à candidis ſemen pro ſatu petere: vel etiam à rubellis variegatis: Idq; non tam ex præcocibus, quam ſerotinis. Hæc ſemina largiuntur flores elegantes, varij coloris; ubi de luteis decerptum ſemen, non niſi totos luteos, inamœnos, & abjectos flores largietur: ſic ex plane rubris, generantur totæ rubeæ, non alterius coloris. Omnium pulcherrimæ Tulipæ omnium difficilime per ſemen propagantur. Præterquam enim, quod ipſi flores patres raro vltra annum unum ſuam hanc pulchritudinem retineant; etiam inſuper de eorum ſemine vix alia proles generatur, quam rubra aut flava, quantumcunq; formoſæ ſint, quæ ſemen ſuppeditarunt Tulipæ. De candidis, ut dixi, deligendum eſt ſemen, ſi quis varietatem florũ deſiderat. *Cluſius* commemorat, è ſeminibus Tuliparum albarum, poſtquam Autumno maturuerant & eodem momento iterum conjecta à ſe fuerant in terram, ſubſequente vere tenella germina, & bulbulorum rudimenta fuiſſe enata, quorum quidam anno ſexto: quidam anno VII. VIII. IX. X. flores protulerunt: quoſdam albos, ſimiles matrib.; quoſdam albos alijs coloribus mixtos; quoſdam flavos: alios flavos variegatos: nonnullos rubros; nonnullos rubros multicolores; alios purpureos; alios purpureo albos.

Notatu & illud dignum: ex ſemine præcocium Tuliparum, gigni interdum ſerotinas: Et vice verſa ex ſerotinis præcoces.

Jam vero cui animus eſt Tulipas ſuas multiplicare per ſementem, is autumno decerptum ſemen protenus projiciat, non in pulvillos horti, aut agrum, (ubi facilè peribunt, quales ſunt primo aut ſecundo anno nati bulbuli) ſed in ciſtulas, aut vaſa peculiariter ei rei parata: Inibiq; relinquat per trienniũ, aut pręterpropter, quoad in aliqualem magnitudinem ſuccreverint. Tum demum plantari deſiderant in horti areolis.

II. Quem tædet tantæ moræ, & qui citius optat Tuliparum ſuarum multiplicationem; is ſibi commendatam habeat parvam bulborum *ſobolem matri adnatam*. Enimvero principali bulbo quotannis adnaſcuntur, ad latera, bulbuli alij parvi, qui avellendi, & ſeorſim plantandi ſunt. Eos vocant *Hollandi* affſetters: vel etiam, omnes bulbi Tuliparum, antequam ad plenam perfectionem deveniant, & priuſquam ferãt flores, ſolẽt per tenuia quædã filamenta novellos bulbos, ſeu infantes deorſum verſum in terram progignendo demittere: (vocantur Sinckers) profunditate ſæpe aliquot palmorum, qui & ipſi curioſe quæri, & inventi ſic ſeorſim plantari poſſunt. Reperto uno filamento, bulboque, ſecuram tibi poteris ſpem facere, adeſſe item plures alios. Et quia hi ſubſidentes bulbi, ſi per aliquot annos relinquantur ſuæ naturæ, non mota terra, tam alte deſcendũt, ut omninò poſt eximi, imo ne reperiri quidem poſſint; eam ob cauſam ditiores Tulipiſtæ pavimenta ſubterranea ſuorum pulvillorum, lapide coctili, aut aſſeribus induunt, ſternuntq;, ut hoc obice, ac impedimento coherceatur vagabundus ille deſcenſus.

III. Obſervatum quoque eſt, pleraſque Tuliparum ſerotinarum, quotannis ad alas folij infimi protrudere, ac educare bulbum; adeoque fieri proliferas. Is bulbus tabeſcente ſenſim matris ſuperficie, incrementa capeſſit, & propagationi perquam aptus eſt. Tum Tulipæ vocantur *Bulbiferæ*.

Ad culturam hoc quoque pertinet. Si vſus poſtulat aut res, bulbos Tuliparum è terra eximi; id vt fiat vel poſtquam exaruit caulis, vel circa Jacobi diem. Singulis annis è terra evelli opus non eſt. Poſſunt enim per triennium, & ultra illæſi quieſcere; ſed ſi fuerint depromendi; tum abſciſſis inferioribus filamentis, collocentur bulbi in conclavi extra frigus & æſtum, in libero aëre, extra arenam, extra terram, nudi uti ſunt. Ita tuto & commode ſervantur per multos dies; imo menſes. Arena aut cinerib. aut terra involuti, ſitum contrahunt, & corrumpuntur.

Poſſunt etiam ita ad loca diſſita tranſmitti, quamquam & diu adſervari poſſunt magnis itineribus, involuti muſco terreſtri, in quo molliter cubant, & liberi manent à cõcuſſione. A fimo & humore curioſe illis proſpiciendum. Cum Autumnus juſto humidior eſt, decidentibus nimiis pluviis, transferendi ſunt è terra in conclave ſiccum, ne putreſcant.

VI. COROLLARIUM.

TULIPÆ è tellure caput primulum exſerentes, ſi unum ſaltem foliolum oſtendant, certo ſcito eo anno non daturos florem. Quæ duobus foliorum cuſpidib. ſe produnt, eæ infallibiliter erunt floriferæ.

Cau-

Caulem floris fortaſſis judicaret aliquis è medio bulbo exire. Sed vero poſtquam planta tota defloruit, & flacceſſere cœpit, deprehendet non in medio, ſed juxta latus bulbi caulem poſitum.

Tulipæ variegatæ diverſorum colorum, non ſervant quotannis eandem elegantiam. Qui hac æſtate florem in horto ſuo educavit ſuſpiciendæ pulchritudinis; is anno ſequuturo ab eodem bulbo donatur ſæpè turpi & inamœno flore. Ex adverſo: Qui bulbus continuos aliquot annos vulgarem florem flavum aut rubrum oſtentavit, is una æſtate pulcherrimi coloris & Ideæ floſculo exhilaraturus eſt hortulanum: Sed brevi, & non durabili gaudio. Mox enim cum planta ipſa bulbus totus ſequenti anno emoritur, & interit: quaſi ante fatalem obitum, voluptabili aliquo ſpectaculo, adhuc recreaturus Dominum ſuum. Inter omnes colores, flavæ & rubræ Tulipæ minus æſtimantur precioſæ. Nam uti ſunt copioſiores, ita viliores. Albæ non ſunt in nullo honore. Multo nobiliores variegatæ, & virides. Omnium rariſſimæ cœruleæ.

LIBER II.

DE PLANTIS TUBEROSIS.

CAPUT I.

DE TUBERIBUS IN GENERE.

I. NOMEN.

ADPOSITURUS ad Bulbos, tanquam epulum aliquod adjectitium, plantas tuberum feraces, quæ non omnino nullam cum bulbis affinitatem gerunt, præmoneo me non indiſtinctim & abſq; diſcrimine me huc congeſſurum, quidquid tandem quoquo modo radices gerit tuberibus ſimiles. Sed eas duntaxat plantas ὑδνοφόρους, quæ ſui & proprij generis ſunt, quarum univerſa ſpecies, totusq; generis ambitus, radice conſtat tuberoſa. Inter *acetoſas, aconita, ariſtolochias, gerania, ranunculos* &c. reperiuntur ſingulares quædam varietates, à cætera ejusdem ſpeciei populari multitudine exceptæ, quibus datum eſt pro radice tuber, ubi reliquæ omnes ejusdem ſpeciei plantæ cum tubere nihil commune habent, donatæ quippe radicibus fibroſis. De hiſce nihil hac vice à nobis exſpectabis. Ranunculus tuberoſus, ad ranunculos cæteros pertinet: Geranium tuberoſum, ad Gerania reliqua; acetoſa ad acetoſas; cętera ad ſuas quæq; claſſes.

Tuber τὸ ὕδνον, partim neutro genere prima ſyllaba producta, partim maſculino prima correpta uſurpatur à priſcis elegantiæ Latinæ Magiſtris. Utrobiq; diſtincta ſignificatione.

1. *Tuber* aut *tubera* ſunt *quævis prominentiæ*, aut tumores corporum, ſupra reliquam ſuperficiem extantes, ſeu ſecundum, ſeu præter naturam. Eo ſenſu *Plin. l. 8. c. 18.* ſcripſit: *Tubera bina in dorſo habent cameli.* Et Terent. Adelph. *Colaphis tuber eſt totum caput.* Ovid. lib. 8. metam.

—immodico prodibant tubere tali.

Plin. l. 16. c. 16. *Reperitur & in alio tuber tanto deterius, quanto ab acere ipſa alnus diſtat.* Per tuber intelligit duritiem, ad nodi ſimilitudinem protuberantem.

2. *Tubera* præciſiori ſignificatu, *de ſolis* dicuntur plantarum quarundam *radicibus*

præ-

prætumidis, rotundis, ab quibus *ſtirpes* nominantur *tuberoſæ*, de quibus jam nunc erimus ſolliciti.

3. *Tubera*, ſtrictiori modo ſignificant terræ *callum edulem* rotundum, genitum ſine radice, intra terræ alvum, diciturque κατ' ἐξοχὴν ac ſpecialiter *tuber*, de quo *Iuvenalis*, *O Lydie! disjunge boves, dum tubera mittas*: & de quo nos *ſequenti capite*.

4. *Tuberis* vocem etiam attributam video privata uſurpatione *Cyclamini*, notæ herbæ, quæ ob radicem tuberoſam, *Tuber & rapum terræ* vocatur.

5. Hæc omnia neutro genere. Porro Tuberem maſculinum, duabus rebus attributum reperio, primum *arbori*; deinde arboris *fructui*.

De arbore *Columell. l. 11. c. 2. Poſſunt etiam his diebus ceraſi, & Tuberes, & Armeniaca atque Amygdala, cæteræq; arbores quæ primæ florent, inſeri commodè*.

De fructu *Martialis lib. 13.*

Non tibi de Libycis Tuberes & Apyrena ramis,
De Nomentanis ſed damus arboribus.

(Apyrina ſunt mali Punici genus peculiare, dulce, nucleis lignoſis carens.)

Ibidem: *Lecta ſub urbanis mittuntur apyrena ramis*
Et vernæ Tuberes: quid tibi cum Libycis?

Per *vernas* intelligit domi ſuæ, aut in patria natos. *Suetonius Domitiano*: *Oblatos tuberes ſervari juſſit in craſtinum*.

II. III. DIFFERENTIÆ. ET SPECIES.

TUberum duæ ſunt claſſes primariæ; Aliqua *noſtratia*, Aliqua *exotica*, è novo orbe ad nos transmiſſa, quorum ſpecies ex ſequentibus cognoſcentur.

IV. VIRES ET USUS.

PLæraque omnia Tubera ad rem culinariam aſſumuntur, interque cibos adjectitios non infimi ſunt cenſus, ſi paucula exceperis, *Arum*, *cyclamen*, *Rad. cavam*. Quanquam & *Arum*, Raporum inſtar, in Græcia eſitari conſuevit, teſte *Galeno*. Sed & iſta, quamvis minus convenientia victui, tamen ſuos præſtant uſus rei medicæ, ut in hiſtoria ſingulorum dicemus.

V. CULTURA.

CUltura non tam ſollicita opus habent Tubera, quam bulboſa: ſed ut ſponte proveniunt, vel terræ commiſſa ſine difficultate germinant.

VI. COROLLARIUM.

QUales fuerint apud Romanos olim Tuberes iſti, tam Arbor quam fructus, à nemine explicatum invenitur. Unus *Mercurialis V. L.* ſubtili indagine conjectatur, eſſe quæ hodie dicuntur *Præcoqua*, vel *Præcocia*, vel *Abricoca*. Sententiam ſuam probabilem facit talibus conjecturis.

1. Tuberes primum fuere allati ex Africa; ſolentque gigni in agro Nomentano Italiæ.

2. Florent cum Americanis malis, & Præcocibus.

3. Meſius inſeruntur pruno ſylveſtri, & malo cotoneæ, quam ſeruntur granis.

4. Fructus tuberum dulces ſunt, & Septembri ſeruntur granis.

Hæc de tuberibus tradiderunt *Plin. Columell. Pallad. Martial.* quæ ita applicat *Mercurialis* ad mala Abricoca.

1. Abricocæ ex Alexandria in Siciliam; hinc Neapolin fuere transvecta ante aliquot annos.

2. Gerunt folia Armeniacorum, florentque ſtatim poſt Amygdalas.

3. Inſeruntur prunis, perſicis, præcoquis, ſuntq; meliores ita, quam granis ſatæ.

4. Dulces ſunt earum fructus: Et grana ſeruntur Septembri, aut Octobri.

Si objicias 1. *Domitiano,* priuſquam jugularetur, Septembri menſe oblatos tuberes; (ex *Suetonio*) Abricocas autem eſſe fructum inter præcoces primum.

2. *Palladium libro menſis Octobris,* docuiſſe rationem ſervandi tuberes, quod tempus Abricoca mala neutiquam attingunt.

Reſpondet ad 1. tuberes oblatos *Domitiano* ſervatos eſſe peculiari arte. Et eo tempore quo aliæ deſierant, ceu rarum minus Imperatori donatos.

Ad 2. *Palladium* non ſervare certam legem in libris iſtis. Siquidem & *libro Aprilis* docet modum ſervandi zyzipha, quæ autumno ſaltem maturantur.

Cæterum mihi tuberes quidvis potius eſſe videntur, quàm Abricocæ. Nondum equidem queo diſpicere exactè quæ ſit ſpecies arboris, quiq; fructus, *Tuberes antiquorum.* At quod Abricocæ non queant eſſe, inde conjicio.

1. Quia *Plinius* ſcripſit tuberes proferre fructus baccis, quàm malis ſimiliores. At Abricocarum fructus tantum accedunt ad baccarum ſimilitudinem, quantum calceo convenit cum pileo. Poma certè ſunt, ſeu mala ſunt Perſica, non baccæ. Abricocæ autem ex Perſicorum proſapia.

2. *Idem Plinius l.16 c.25. & lib.17.c.16.* Tuberes granis ſeri judicat, (quamvis melius inſerantur arboribus alijs.) mala autem Abricoca, nihilo plus granorum habent, quam Perſica cætera. Nuces habent prorſus tales, quales ſunt Amygdala; edules, ſapidas, dulces. Nuces verò à granis toto genere diſtinguuntur. Et vero Abricocas nucibus multò melius propagari, ſicuti & Perſica, quam per inſitionem, id vero norũt Horticultores omnes; Ubi è contra (ſi nuces hæ grana ſint) Tuberes minus commodè per grana ſeruntur, quam per inſitiones.

3. Abricoca, quæ à malis Armeniacis diſtinguit *Mercurialis,* eadem prorſus ſunt cum Armeniacis. Neq; olim neq; hodie alia ſunt *præcoqua*, ſeu *præcocia*, ſeu *Abricocæ,* quam *Armeniaca. Dioſc. l. 1. c. 166.* poſtquam de malis Perſicis egiſſet *capite præcedenti,* ſic addit: τὰ δὲ μικρότερα καλούμενα Ἀρμενιακὰ, ῥωμαϊστὶ δὲ πρεκόκκια, δυστομαχώτερα τῶν προειρημένων εἰσίν. Scio *Galenum lib. alim. fac.* diſcrimen aliquod poſuiſſe, inter mala præcocia, & Armeniaca: ſed non aliud id eſt, teſtibus, & Medicis, & Botanicis, & Horticultoribus, quam accidentarium.

Majuſcula & per inſitionem producta dicuntur *Armeniaca*; Gallicè *Avantpeches*: minora non inſita, ſed ex nucleis nata, *Abricoca* ſeu *Præcocia*. Gallis: *Des Abricots.* Certè ipſe *Galen.* utriuſque Arboris Armeniacæ, & Præcoquæ fructum vocat πρεκόκκιον.

Quid-

Quidquid ſit; ſeu diſtinctæ ſunt arbores, ſeu una eademq;, Tuberes neq; Armeniacæ neq; Abricocæ ſunt: quia *Plinius d.l.* iſtos expreſsè ab his vtriſq; ſecernit, *Tuberes*, inquit, *poſt amygdalas cum Armeniacis & præcocibus florent*. Idemque facit *Columell. d.l. Poſſunt Tuberes, & Armeniacæ*, &c. *inſeri*.

Sunt igitur Tuberes aliæ arbores, quam Armeniacæ & Præcoquæ, quamvis eodem cum hiſce tempore floreant.

Conjecturæ *Mercurialis*, quam infirmo nitantur tibicine, & quam tractæ ſint è longinquo, ac nullo ferè fundamento applicatæ Abricocis, quilibet poteſt judicare, qui non prorſus ratione caret.

Inveniuntur qui *Tuberes antiquos* cenſent eſſe *zyziphum*. Sed præter nudum effatum nulla adferunt probabilitatis documenta.

CAPVT II.

TUBERA κατ᾽ ἐξοχὴν ET SPECIALITER DICTA.

I. NOMEN.

EST aliquod rerum intra terram naſcentium genus, figuræ rotundæ, inſtar pomi, ſed inæqualis, coloris nigri, aut obſcurè ruffi, ſine radice, ſine foliis & caule: pulpa intus alba, non fungoſa, ſed aliquantò compactiori & durabiliori, minuſque obnoxia putredini: neque odoris neque ſaporis ingrati. Hæc peculiari nomine, & κατ᾽ ἐξοχὴν *Tuber* dicitur. Græcis ὕδνον; ab imbribus: οἴδνον à tumore.

Gallicè *Truffes*. Italicè *Tartufles, Tertufali*. German. Erdbuylen / Erdknoblefen / Schwammen.

II. DIFFERENTIÆ.

Tuberum non ita multæ ſunt differentiæ.

I. *A colore*. aliqua ſunt nigra, aliqua ruffa, alba.
II. *Ab uſu & eſu*. quædam edulia, quædam eſui inepta.

III. SPECIES.

I. *Tuber nobile, edule*.
II. *Tuber arenoſum*, inimicum edentibus.
III. *Tubera cervina: Boletus cervi*. Hirſchbrunſt: Hirſchwammen. Hertzſpongien. Sic dicta putant, quia frequens eorum proventus ijs in locis, ubi cervi ardore Venereo acti, invicem conſueſcunt, quanquam & alicubi creſcere viſi ſint, quorſum nullus unquam cervorum potuit pervenire.

IV. VIRES ET USUS.

SI Galeno fides danda, erunt Tubera prorſus ἄποια, nulla notabili qualitate prædita: neque caloris, neque frigoris, neq; alimoniæ laudabilis participia.

Præcipuus eorum uſus in re culinaria. Eſitantur verò non ita frequenter cruda: ſæpius,

TUBERA κατ' ἐξοχὴν ET SPECIALITER DICTA.



piùs vel toſtæ ſub cineribus: vel alias cocta cum juſculo ſapido, non ſine pipere, aceto, oleo, aut etiam jure pullorum.

Cum ipſa nullo notabili ſapore gaudeant, aſſumunt promptè ſaporem adjectitium quemvis; & veluti polypus colorem petræ, ſic illa juſculi ſaporem induunt & aſſumunt. Compertum tamen eſt experimento, Tubera generare ſanginem craſſum, & melancholicum, ipſaque ægrè digeri in ventre. Quin nimio plus eſitata, graves morbos concitare; ut proinde non ſimus creduli *Diphilo*; qui Tubera docuit ſuccum parere corpori utilem, alvum levigare; ventris recrementa ciere, pollere natura flatulenta, quo nomine libidinibus occaſionem præbere creduntur.

In re medica. *Tubera cervina* etiam locum aliquem inveniunt: quanquam minus tutò. Iis ſimiliter, ut cæteris edulibus tuberibus, multi veſcuntur concitandi coitus gratia, ſed minori pondere, ſcilicet ad drachmam unam: Quod quomodo fieri poſſit, non equidem diſpicio. Enimverò tam impensè frigent, ut etiam piſces obrigeſcere faciant, & emori in aquis. Alii jejuno ore aliquid illorum deglutiunt, adverſus viſus obſcuritatem.

Tum porrò difficulter parientes ſumunt tantum eorum, quanta eſt piſi magnitudo, & dimidium quidem eſitant, dimidium imponunt umbilico, ut laborem partus accelerent, & allevent.

V. CULTURA.

Tubera neq; quovis loco, neq; quovis tempore creſcunt; copioſum illorũ proventum in Aquitania obſervavi. Hic in Megapoli an gignãtur, nondum reſcire potui. Amant naſci in locis ſabuloſis, in Arbuſtetis, ſylvisque, neq; procul à littoribus maris.

Dioſcor. ſolere effodi ait, vere aut æſtate. Vere ſanè tenerrima ſunt. Quæ æſtate è terra promuntur, ſervari in annum poſſunt. Et autumno quidem, cum imbres crebri cadunt, & tonitrua eveniunt, concipi in terra & gigni incipiunt. Vere autem & æſtate, perficiuntur & depromuntur ad uſum.

Propagatio Tuberum duplex eſt: Una αὐτόματος, *ſpontanea*; Altera *ex ſemine*.

I. Tubera produci *generatione æquivoca*, per putredinem, ex ſagina ſeu pinguiori parte terræ, cauſantibus hanc productionem, tanquam agentibus præcipuis, tonitrubus, & imbribus autumnalibus, id verò & Græci & Latini omnes profeſſi ſunt; neque nos negamus. *Plin. lib. 19. c. 3. De tuberibus hæc peculiariter traduntur; Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tum naſci. Idem innuit Poeta* loquens de tuberibus:

Et facient lautas optata tonitrua cœnas.

Cauſam hujus rei *Plutarch. lib. 4. Symp.* perſcrutatus eſt: Ubi tandem poſt prolixum diſcurſum concludit; cum aquæ cæleſtes à tonitrubus decidentes, fœcundi caloris ſint participes, hinc humum fermento tali imbutam, globari, coqui, permutari, & caloris adminiculo, in hæc tubera coaleſcere.

II. Non ſolum per putredinem, ſed etiam ex ſemine prognaſci Tubera, obſervavit *I. Bap. Porta, l. 6. c. 2. Phytogn.* Deprehendit ille in Tuberum corticibus, ut in cupreſſi pilulis latitare nigrum ſemen. Eamq; eſſe rationem, quod in ſylvis, ubi ſæpius prodie-

r re,

re,& computruere,magna copia proveniant. Quin etiam locis illis,quò corticum lotura,corticesve ipſi fuere projecti,feliciter & ubertim creſcere ſolent.

VI. COROLLARIUM.

DE Tuberibus locus eſt *Plinii,* notatu dignus, *l.19.c.2.* *Maximum,* inquientis, *eſt aliquid naſci aut vivere ſine radice. Tubera hæc vocantur,undiq; terra circumdata,nullisq; fibris nixa,aut ſaltem capillamentis,nec utiq; extuberante loco;in quo gignuntur, aut rimas agente. Neq; ipſa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur,ut planè nec terram eſſe poſſimus dicere; nec aliud quam terræ callum.* Et paulò poſt: *Creſcantne tubera,anne vitium id terræ eâ protenus globetur magnitudine, quâ futurum eſt? & vivatne an non? haut facile arbitror intelligi poſſe.*

In hoc *Plinii* diſcurſu,duo non poſſunt ſilentio tranſmitti. 1. Ubi gignuntur tubera,terræ locum non extuberare,aut rimas agere. Ei reclamat *Martialis lib.13.Ep.47.* innuens terram omnino hiſcere; & rimis prodere ſubjecta tubera. Verſus hi ſunt.

Rumpimus altricem tenero qui vertice terram,
Tubera,boletis poma ſecunda ſumus.

Reclamat etiam obſervatio quotidiana eorum, qui conquirunt & effodiunt tubera, non alio agnita indicio, quam terræ tumore & levibus hiatibus. 2. Dubius eſt *Plinius, Tubera vivantne annon?* Et quidni viverent? non minus quam vegetabilia alia, per putredinem genita. Sunt quippe ex genere plantarum (quanquam perfectione multum cedant aliis nobilioribus:) ſemen ferunt, & per ſemen propagantur, ut ex *Porta* docuimus.

Aliqua tuberum origo αὐτοματως, ſine prævio ſemine eveniens, occaſionem præbuit *Porphyrio,* appellandi *filios Deorum Tubera,* & fungos: quia & ipſi ſine mortali ſemine procreati creduntur. Græci autem poëtæ è contra obſcuros quosq; & inutilia terræ pondera γηγενεῖς appellant; *Tubera telluris. Cicero Epiſt. ad Attic.* nominat *Terræ filios,* quaſi illorum parentes ob vilitatem noti non forent.

Cum ex callo terræ concreſcant utplurimum Tubera, accidit interdum, ut intra Tuberum carnem, vel calculi, vel alia materia implicetur, quæ duritia, mandentium dentes ſubinde laceſſit. Hiſtoria legitur apud *Plinium,* non aſpernanda, de *Lartio Licinio,* viro prætorio, cui tuber mordenti accidit, ut deprehenſus inde denarius primos dentes inflexerit.

Diphilus annotavit creſcere herbam quandam ſuper tubera ὑδνόφιλον dictam, quâ visâ & repertâ, certò ſubeſſe tubera cognoſcantur; quæ qualis ſit planta, ut vobis dicam, nolite à me exſpectare.

CAPUT

CAPVT III.

ADENES CANADENSES ſeu FLOS SOLIS GLANDULOSUS.



R 2

I. NOMEN.

ADENES *Canadenſes*, appellamus plantam novam, à paterno ſolo, *Canada*, quæ eſt Americæ provincia, unde primum ante annos triginta, aut circiter in Bataviam transvecta fuit. *Adenes* vero nominamus, quoniam, ſicuti iſti cumulatim, & magno numero ſerpunt per adipem, cui innaſcuntur; ita hæc glanduloſa corpora, ſeu tubera, circum plantæ ſuæ radicem, intra terram quaquavorſum copioſa multitudine propagantur. Tum carne quoque compactâ, albâ, qualis eſt Adenum, conſtant.

Dicitur & *Flos ſolis glanduloſus*. Enimvero flos ſolis duplex eſt: Unus *Peruvianus* radice fibroſâ, nihil Tuberum educante, herbarum omnium maxima, & altiſſimus florum, idea ſua exprimens ſolis corpus, quale à pictoribus pingitur.

Alter *flos ſolis Canadenſis*, tuberoſus, glandifer, hic ipſe de quo agimus inpræſentiarum. Similis quidem aliquo modo priori illi, ſed folia habens longiora, florem vero vel raro, vel non ubivis ferens, & exilem admodum.

Invenit & alia nomina apud recentiores, qualia hæc: *Helenium tuberoſum. Helianthemum Indicum, tuberoſum. Flos ſolis Farneſianus. Chryſanthemum latifolium, Braſilianum, vel è Canada*. Germ. Artiſchocken vnter Erden: Vnderſchocken: Vnter Erdſchen. Sapore enim æmulantur ſcrobylorum vulgarium carnem pulpoſam. Knauſte/oder Knouſten/ Enoſſelen/Honderthoofden.

Artiſchockappeln van ter Neuſen: quia *Petrus Hondius* in prædio ſuo ter Neuſen primas has glandes, tum ex America advenas excepit; tum in hortis ſuis educavit: tum à ſe transmiſſas ad amicos, communes reddidit toti Germaniæ, imò Europæ.

II. III. DIFFERENT. ET SPECIES.

Nondum innotuit noſtro Orbi niſi una ſpecies, jam paſſim cognita.

IV. VIRES ET USUS.

CUlinaria res multis nominibus devincta eſt his Adenibus, abs quibus illi tam prolixum & proficuum commodum. Adenes Canadenſes tanquam Rapa quædam pluribus modis parantur in fercula, quamvis rapis multò ſapidiores, ſalubriores, nobiliores. Pollent vi promptè & plurimum nutriendi, corporique non ſolum alimentum ſuggerunt laudabile; ſed etiam vires adaugent in præſtando opere virili: partim ſuggerendo nonnihil flativũ, pro diſtentione; partim ſanguinem & ſemen generando.

Epulæ exinde parari non una ratione ſolent.

1. Lautiſſimè omnium coquuntur in aqua, addito pauco ſale, dum tenereſcant. Coctis demitur cutis exterior, lenta nimis, & maſticationem impediens. Tum friguntur in Butyro prorſus ut pira apud nos decorticata ſolent. Aſpergitur nonnihil ſacchari aut cinnamomi.

2. *Alius modus*. Aufertur crudis cortex exterior, & probè lavantur. Coquuntur in aqua cum ſale. Exemptis affunditur juſculum pulli, aut vervecis, aut carnis bubulæ: Vel butyri ac aceti cocti mixtura, cum pauxillo pipere.

3. *Alius*

3. *Alius*. Cocti ſub cineribus, aut elixati decorticantur. Eſitantur cum aceto & oleo, additis ſale & pipere.

4. Friguntur quoq; in ſartagine, involutæ pollini farinæ.

5. Solent à nonnullis, inſtar raporum, coqui cum carne bubula, aut vervecina.

V. CULTURA.

TANTA eſt hujus plantæ, & ejus Adenum fœcunditas, ut non ſolum ex parvulis glandulis, ſed & fruſtis quibusvis (dummodo oculis ſint inſtructa) majorum tuberum magna ubertate luxurient: adeo, ut qui ſemel hæc tubera recepit in ſe hortus, is ægre poſtidea iis liberari queat: tam prodigaliter ſerpunt. Neq; ullius Hortulani ita curioſa manus eſt, ut eos evellendo, non relinquat in terra fruſtillum aliquod, quod anno ſequente in plantam adoleſcit, inque novorum adenum gregem multiplicatur. Etiam in ipſa Canada non eſt tanta eorum, quanta in hac noſtrate mundi parte, fæcunditas, ut teſtantur illi, qui oculato experimento id obſervarunt. Sic igitur per tubercula, aut fruſta gemmis inſtructa, ſatis ſe propagari patiuntur. Aliam propagandi rationem neq; novimus, neq; curamus. Semen enim prorſus non fert hæc planta. Imo vix etiam florem. Nam plurimæ æſtates etiam in Belgio labuntur, cum nullo flore hic Flos ſolis conſpicuus eſt. Ubi æſtas acriter fervet, & ſicca eſt admodum; ubi planta nacta eſt ſolem continuum, ſolumq; calidum, ſolet florifera fieri.

Initio cum nondum penitus cognita erat indoles hujus plantæ, ſolebant Adenes ab hyemis injuria defendi; & vel paleis, vel pulvere ceſpitum ſiccorum muniri; vel in tectum inferri. Nunc didicimus obſervationibus annuis, non opus eſſe hac cura. Perennant enim in hortis, & frigus facile ferunt: congelaſcunt quidem in lapideam duritiem: ſed ſi ſponte permittantur redire ad priſtinam integritatem, & conceptam glaciem ultro deponere, neque vel manibus, vel halitu contrectentur, nihil illis damni ab hoc gelu. Ita vero curari & coli deſiderant. Terra bene ſubacta, levi, profunde foſſa (ut Tubera ſe expandere, & ſubſidere poſſint) reponuntur Adenes, menſe Martio, aut Aprili. Qui majores ſunt, cultro diſcinduntur in fruſta, ea cautela ne oculi, ſeu verrucæ, quibus ſcatent, lædantur. Fruſta ponuntur in terram, interſtitio ſemiulnæ relicto inter quæque. Quælibet verruca, dabit peculiarem plantam.

Sic curati creſcunt per æſtatem pro lubitu in juſtam altitudinem: cavendo interea, ne caules tondeantur. Id ſi fiat, Tubera non ſolum duplo exiliora fient ſolito, ſed etiam duriora. Sic relinquenda in Autumnum usque. Tum effodiantur quæ menſis hybernis deſtinata cupis, reponenda in conclavi aliquo, arena undiq; obruenda. Quæ intacta hyeme relinques in horto, magis adhuc aggrandeſcent; eruenda ſequente vere, & alibi plantanda: vel antiqua ſede relinquenda. Poterunt vero etiam æquè proficuè plantari, quæ in conclavia fuerant illata. Non opus eſt illis ullo tegumento adverſus frigus, inprimis cavendum ne fimo occultentur, ſub quo putrefiunt, & ſub quo mures nidulantur, qui eorum totas ſtrues depopulantur ſæpenumero.

VI. COROLLARIUM.

APPENDICIS loco adnectam plantæ hujus *deſcriptionem*. A nemine enim depictam aut deſcriptam hactenus vidi.

Tuber projectum in terram, primo omnium emittit ex ſeſe germen, cum duobus oblongis foliis, quę mox duo alia folia ſequuntur, decuſſatim ſeu transverſim poſita reſpectu priorum. In horum medio caulis ſurgit cum foliis pluribus: ſæpe x. aut xII. pedes altus; proq; ratione altitudinis minus craſſus; rotundus, hirſutus, medulla alba, molli refertus. Folia in ambitu nonnihil ſerrata, formam gerunt Rhomboidis rotundi, acuminata parum ad caulem, & in extima cuſpide: media parte latiora. (quo ipſo differunt à *foliis Floris ſolis* Peruviani, quæ cordis Ideam referunt) per quorum longitudinem tres nervoſæ fibræ decurrunt, ſpargentes de ſe fibras transverſas alias. Ipſa folia fragilia admodum, ſaporis nullius evidentis, ſingula peculiari pediculo reſidentia. Superius foliorum latus aſperum eſt, facto ductu ab extremitate verſus caulem. Inferius vero lene, ac non ita hiſpidum.

Faſtigium caulis oſtendit rudimenta viridia floris alicujus, ſimilis Flori ſolis Peruviano, ſed multo minoris, qui nunquam ſeſe explicat, nec ad perfectionem deducitur, niſi quoties diuturna ſiccitate, & calore vehementi æſtas urgetur. Semen tuliſſe planta nunquam viſa eſt.

Interea dum hac Idea planta prognaſcitur ex Tubere, Tuber ipſum paulatim faceſſit, & commutatur in radicem ligneam, emittentem ex ſe plurima filamenta duriuſcula, partim deorſum, partim ad latera repentia, ad quarum extremitatem adgenerantur tubercula, inæqualis formæ, plæraq; tamen ad rotunditatem ſe componentia; coloris ſubruffi partim; partim candidi: diverſæ magnitudinis: quædam ceu ova, aut poma, aut nuces: quædam majora; quædam tantæ craſſitiei, ut tres palmos adæquent; tanta ubertate & copia, ut ſæpe una planta, integrum cophinum repleat. Ambiuntur cuticula ſubruffa, mediocriter denſa; intra quam continetur caro alba, compacta, edulis, dulcis. Omnes hi Adenes verrucis tanquam oculis plurimis ſcatent, in quibus potior eſt vis genitalis. Mater radix fibroſa, poſtquam progeniem ſuam tuberoſam enixa eſt, emoritur, vivos relinquens fœtus ſuos, qui ſequente anno in novas plantas adoleſcunt.

CAPUT

CAPUT IV.

ADENES VIRGINIANI, ſeu HALI-CACABUS GLANDIFER.



I. NOMEN.

NON tam ſimile eſt ovum ovo, aut lac lacti, quam ſimilia ſunt tubera *Halicacabi Virginiani*, Tuberibus Floris ſolis Canadenſis, ſi figuram ſpectes, carnisq; ſaporem, & vires: adeo ut altera ab alteris haut facile diſcerni queāt, eo uno excepto, quod Adenes Virginiani pelle tenuiori circumdentur quam Canadenſes. Hinc quilibet æſtimare poteſt, cur utrique Adenum nomen impoſuerimus. Hos autem de quibus præſenti capite, vocamus *Virginianos*, à patria *Virginia*, unde primum advecti, (quanquam etiam ex *Peru* poſtea copioſe illata ſint in has regiones, indeque, ſi quis volet, *Peruviani* dici queant) veluti iſtos Canadenſes, à ſuo ſolo natali.

Utut vero tubera ipſa hæc parum à ſe invicem differant, tamen inter plantarum herbas diſcrimen eſt quam maximum. Flos ſolis Canadenſis toto genere differt ab *Halicacabo* hoc *Peruviano* glandifero, caule, foliis, floribus, fructu, magnitudine. *Halicacabum* dixi, quoniam ad vulgaris noſtri Halicacabi Ideam propius accedit, niſi quod folia non ita ſint acuminata.

Natalitium apud Americanos nomen eſt *Papas*. Apud incolas provinciæ *Quito*, non procul à Peru, exſiccata tubera dicuntur *Chumo*. vel *Chuno*. Recentiorum Botanicorum quidam conati ſunt, novam hanc ſtirpem reducere ad Antiqua nomina, dum modo *Arachnida Theophraſti, modo πυκνοκόμην Dioſc.* faciunt: ſed curioſo magis quam ſalubri conatu. Quam non ſubmittat ſe deſcriptioni *Arachnidis* & *Pycnocomes* à *Dioſc.* & *Theoph.* relictæ hic noſter *Halicacabus glandifer*, id intelligit quivis qui *Dioſc.* & *Theoph.* attentius ruminabit.

Propius ad ſcopum jaculantur qui *ſolanum Tuberoſum* indigetant.

Germ. Grublingsbaum/*Papas* von Americen/Erdperzen/offt perzen onder d' Erd.

Itali confundentes Tubera ſpecialiter dicta cum his appellant Tartuffli.

II. III. DIFFERENTIÆ ET SPECIES.

UNICA ſolummodo hujus plantæ varietas ad noſtras manus, & cognitionem perlata eſt.

IV. VIRES ET USUS.

QVIDQVID de viribus, & uſu Adenum Canadenſium annotavimus, id æque Adenibus Virginianis convenit. Coquuntur eodem ritu: Eſitantur ad voluptatem, ad famem, ad vires reparandas, ad venerem concitandam. *Cluſius* refert in Italia tam copioſum eſſe eorum proventum, ut iis porci quoque ſaginentur. *Peruviani* in ſole eos ſiccant, tumque appellant *Chuno*, magnoque lucro advehunt ad incolas terræ *Collao in Peru*, qui iis loco panis utuntur, Pane alioquin carentes.

V. CUL-

V. CULTURA.

GEmina via propagari poſſunt Adenes Virginiani. 1. Beneficio *ſeminis*: 2. *Per tubera.*

I. Non ſolum hæc planta pulcherrimos floſculos profert, ſed etiam *poma*, paulo minora pomis Mandragoræ, circinatæ rotunditatis, primum viridia, deinde cum maturuerunt, candida, in quibus *ſemen* continetur copioſum, ſimile granis ficuum. Id ſemen ſatum, tandem largitur Plantulas, ſed admodum tardè, poſt multorum annorum decurſum.

II. Eſt majus operæ precium *Tubercula* terræ mandare, quorum tam ferax eſt planta quotannis, ut circa unam radicem ſæpè 50. reperiantur. Ea menſe Novembri eximuntur è terra: (neq; enim tam innoxiè frigus perferunt, quam Adenes Canadenſes; utpote tenerioris cutis) & aſſervantur in arenâ, aut nudo aëre, loco à gelu libero. Vel etiã altius defoſſa, & ſtramine operta, relinquuntur in pulvillis ſuis. Quę exempta ſunt, redduntur primo vere ſolo ſuo.

Verum oportet de his adenibus pro multiplicatione plantare non exilia fruſtula, aut minora tubercula, quod fieri diximus in Adenibus Canadenſibus: ita enim omnis ſpes, & florum, & pomorum, & tuberum quoque decolabit: ſed quàm haberi poſſint Tubera maxima.

VI. COROLLARIUM.

EFfigiès hujus plantæ talis eſt.

Ex tuberibus Terræ commiſſis prorumpunt Menſé Aprili foliola atroviridia, quæ cum altius ſuccreſcunt, ſurgit & oſtentat ſe caulis forma triquetra, ex cujus lateribus prodeunt coſtulæ, inſtructæ ſingulæ tribus, quinq;, ſeptem, folijs hinc & hinc, qualiter pœoniæ folia poſita eſſe videmus. Folia autem, ut dixi, Halicacabo ſimillima eſſent, niſi obſtaret figura rotundior, quæ hic major quam halicacabo vulgari. Extremitas coſtæ, vel petioli cujuſque, clauditur uno folio: Et inter majuſcula folia conſiſtunt alia exilia. Caulis ad octo pedum longitudinem ſæpè ſe extendit: ſed infirmus, & ſe erectum ſuſtinere non valens: unde vicinas plantas incubatu ſuo ferè ſuffocat. Florem fert longe pulcherrimum, purpureo violaceum, uno foliolo continuo contextũ; ſed ita contractum in plicas, ut videantur foliola eſſe quinque, ex quorum umbilico quini ſubvirides radij exeunt ad modum ſtellæ. Flores poma ſequuntur, eleganter rotunda, communi juglande haut majora; initio viridia: deinde albicantia: plena ſucculẽtæ carnis, plenæq; granorum, qualia in ficubus maturis reperiuntur. Radix plantæ modo ſingularis, modo biſulca eſt, emittens à ſummitate ſua plures alias propagines, ſerpentes ſæpè non procul à terræ ſuperficie, è quibus caules foliaq; alia progerminant. Radicum filamentis adnaſcuntur tubera, eâdem, quâ in flore ſolis Canadenſi, & facie & fœcunditate.

CAPVT V.

ARISARUM.



I. NOMEN.

Ἀρίσαρον, Ἄρις. *Ariſarum.*
Germ. Klein Aaron: Gebroederkens.

II. DIFFERENTIÆ.

RAro planta hæc variat; Nonnunquam tamen *latiora*; interdum *tenuiora*, folia acquirit.

III. SPECIES.

I. *Ariſarum latifolium.*
II. *Ariſarum tenuifolium.*

IV. CULTURA.

Nulla opus habet.

V. VIRES ET USUS.

EX Ariſaro *Collyria* fieri *Dioſc.* ſcribit contra fiſtulas efficacia: Itemq; Radicem Quadrupedum omnium pudenda, impoſitam, corrumpere.

CAPVT VI.

ARUM.



I. NOMEN.

A*Rum; Arus: Barba Araonis*: Ἄρον.
Colocaſia Cyprorum: Pes vituli.
Serpentaria major.
Germ. Aaronßkraut: Teutſcher Jngber.
Pfaffenpint/Kalbfußwurtzel.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A foliorum Idea*: Arum aliud maculatum: aliud ſine maculis.
II. *A magnitudine*: Majus, minus.

III. SPECIES.

I. *Arum vulgare, non maculatum majus.*
II. *Arum minus.*
III. *Arum maculatum venis candidis: Gicherum; vel Gigarum maculoſum album, Hiſpanicum; Lacteum.*
IV. *Arum maculatum, punctulis nigris.*

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Uſus culinarius *Galeni* tempore & in Græcia erat familiaris, ubi Arum naſci ſcribitur *à Galen.* carens omnis acredinis; edule; & in ferculis peramabile. Idem teſtatur *Dioſc lib. 2. c. 197.* Ῥίζα (ait) ἐσθίεται ἑψομένη, ἧττον οὖσα δριμεῖα. Ταριχεύεται δὲ τὰ φύλλα εἰς βρῶσιν, καὶ καθ' ἑαυτὰ ξηρανθέντα ἑψόμενα ἐσθίεται. Καὶ καθόλου ἐστὶν ἡ ῥίζα, διὰ τὸ μὴ λίαν δριμὺ, ἐδώδιμος. Hic apud nos è culinis exulat, propter ſummam acrimoniam, qua vehementer adurit linguam & fauces. *Dodon*: tamen ſcribit radices coqui in aquâ. Primam aquam abjici: ſecundam addi; & tum comedi inſtar raparum. Illud obſervatione compertum eſt, tametſi radices omnes recentes acerrimę ſint, exſiccatas tamen omnem ferè acrimoniam depoſuiſſe: ut proinde corrigi amplius opus non habeant. Haut dubio acrimonia illa non occupat penetralia Radicis, ſed in ſuperficie hæret, leviq; de cauſa eventilata vaneſcit in auras ob tenuitatem.

IN RE MEDICA. Radix Ari *pectus* liberat vitioſis humoribus: *Vrinam* & *mēſes* ciet. In *Aſthmate, tuſſi, diſpnœa* celebratur.

Ex Radicibus Chemici parant, extrahuntq; *Feculam Aronis*, cujus efficaciam imprimis commendant ad diſſolvendos tartareos & tenaces humores, qui aliàs obſtructionum & ſcirrorum forent cauſæ; unde poſtmodum quartanæ, icteri, hydropes: Vide *Quercet. Pharm. reſtit.* Experimento haut fallaci conſtat, Ari radicem ſingulari virtute *Hernioſis* auxiliari, quibus pulvis, drachmæ circiter pondere, aut paulo minus, exhibitus in liquore convenienti, non ſolum ſurſum revocat, retrahitq; procidentias; ſed & peritonei rupturam conſolidat, ſi vel ſupini per dies aliquot decumbant ægroti; vel ligamentis pars affecta muniatur.

V. CULTURA.

CReſcit facile ſine grandi operâ, in locis opacis. Statim poſt hyemem erumpit è terra.

ASPHODELUS.



VI. COROLLARIUM.

P*Lutarch.de ſolert.anim.* autor eſt, urſam, cum primum ex antro prodit, veſci Aro agreſti, cujus acrimoniâ inteſtinum illi rurſum aperitur. Pulveriſata radix cibis inſperſa, facit ne quis amplius comedere queat: quod vitium tollitur, ſi os ac guttur eluātur lacte, aut largius devoretur butyrum recens. Solet, fallendorum & ludificandorum hoſpitum gratia, aſpergi pulvis; Aut fruſtillatim conciſa radix permiſceri acetarijs ex lactuca, aut endivia potius, ne fraus ſentiatur. Inde ſi quis comederit, ita adurentur fauces, ut aperto ore hient hoſpites, neque priſtinæ integritati reddantur, niſi hauſto aceto.

CAPUT VII.

ASPHODELUS.

I. NOMEN.

A*ſphodelus; Haſtula regia.*
Albucum Plinij: Albutium: Martheſion.
Manlij herba portaria.
Gr. ἀσφόδελος.
Germ. Asfodel Lilien/oder Wurtz/Golwortel.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A florum poſitu*, Aſphodelus alius ramoſus, alius non item.
II. *A foliorum Idea*, fiſtuloſus, aut folijs ſolidis.
III. *Ab odore*, ſuaveolens, aut fætidus.
IV. *A colore*, albus, flavus.

III. SPECIES.

I. *Aſphodelus albus: major: mas: ramoſus.*
II. *Aſphodelus minor, albus.*
III. *Aſphodelus ſuaveolens.*
IV. *Aſphodelus foliis fiſtuloſis; maritimus; paluſtris; aquaticus; flavus; major.*
V. *Idem minor. Phalangium Narbonenſe.*
VI. *Aſphodelus edulis, Heſiodi*: de quo in *corollario*.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Olim quidem Heſiodi ætate non erant nullius uſus Aſphodeli: at hodie teneriores, & delicatiores ſunt Mortales, quā ut eos eſitare dignentur.

IN RE MEDICA. Radices Aſphodeli albi, (flavi, vires incognitæ ſunt) deprehenſæ ſunt efficaces, tam foris, quam intus.

Foris. In Italia juvenes, quib. volupe eſt non planos ſed *criſpos cincinnos* alere, novacula ſibi abradi curant capillos, cavumq; caput benè fricant tuberibus Aſphodeli, aut crudis,

crudis, aut coctis ſub cineribus. Renaſcuntur pili eleganter intorti & criſpi. Similiter ociùs *pilos provocant*, & progerminare faciunt hæc tubera, affricata cicatricib. à ſcabie, aut vulnere.

Fœminæ Italicæ eadem tubera aſſare ſolent ſub cineribus, ijſq; adhuc calentibus *cutem faciei* ac *manuum* confricare, *aſperitate* & ſcabritię deturpatam, breviquc omnem turpitudinem tollunt.

Emplaſtrum ex ijs confectum cum pauco adipe, medetur *ſcabiei jumentorum.*

Eadem incocta vino, utiliter uſurpantur ad *Apoſtemata* aurium, *ulcera fiſtulasq;* corporis. Paratur etiam exinde *Cataplaſma*, una cum pice, ad abigendum *fœtorem pedum.*

Interius. Vinum in quo radices decoctæ vim ſuam depoſuerunt, bibitum protenus provocat *menſtruorum* obſtructorum effluentiam.

Plures easq; multifarias utilitates aſphodeli qui ſcire volet legat *Dioſc. l. 2. c. 159.*

V. CULTURA.

ASphodelus provenit quovis ſolo. Tubercula unius plantæ ſæpè ſe ita multiplicãt, ut ultra 200. reperiantur, pendentes ultra libras quinquagenas. Ea de cauſa *Itali* vocant *centocapi.*

Propagatur commodiſſimè per *Tubera.* Tardè per *ſemen. Geſner. Hort. Germ.* ita habet. *Satus à me Aſphodelus aliquot tantùm folia emiſit intra biennium. Nunc tertio anno, quamvis multa folia habeat, caulem nondum oſtendit. Occulit ſe aliquando, præſertim ſub cane, ut interiiſſe videatur.*

VI. COROLLARIUM.

DE Aſphodelo ſuo eduli *Heſiodus* Ἔργ. καὶ ἡμέρ.

Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

De hoc eodem eduli Aſphodelo *Theophr.* Ἐδώδιμοι μὲν γὰρ οὐ μόνον βολβοὶ, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῦ ἀσφοδέλου ῥίζα.

Qualis ſit hic Heſiodi Aſphodelus edulis, quæritur, vel potius neſcitur. *Lobelius* exiſtimat *ſiſarum* eſſe. Sed ſiſarum cum Aſphodelo exigua aut nulla ſimilitudine convenit. *Dioſc.* certè duobus diſtinctis capitibus utrumque enarravit. Siſarum *l. 2. c.* 105. Aſphodelum *l. 2. cap.* 159. Scribit Aſphodelo folia eſſe πράσῳ μεγάλῳ ὅμοια: Porrò majori ſimilia, abs qua figura toto cælo differunt folia ſiſari.

Alij arbitrantur eſſe vulgarem noſtrum majorem *album Aſphodelum.* Verum hujus tuberibus nuſquam veſcuntur homines. Porci quidem ijs delectantur. Si aquâ macerentur, ut Lupini, deponunt aliqua ex parte ſaporis ingratitudinem: Attamen comedi nequeunt, ſed vomitum cient, & palato vehementer adverſantur.

Si quid conjecturæ indulgendum eſt; dixerim ego;

I. *Vel, Heſiodum* Aſphodeli vocem uſurpaſſe ampla poteſtate, & ſic indigetaſſe radices quasq; edules, velut per malvam intellexiſſe omnes herbas eſui aptas: ſicq; à lautiori & dapſili victu avocatis hominibus, commendaſſe Radicum & herbarum uſum. Ea conſuetudo non eſt nova aut inſolens poëtis, qui ſępè ſub ſpeciei nomine, complectũtur totam generis latitudinem.

2. *Vel,*

2. *Vel*, peculiare fuiſſe Aſphodeli ſapidi ac edulis genus, ſoli Græciæ notum ac familiare.

3. *Vel*, in ſolo Aſcræo, patria *Heſiodi*, aſphodelum vulgarem, majorem, album, ſalubriori ac ſapidiori ſucco ac indole naſci ſolitum, quam hic apud nos.

Quod à Terræ cælique diverſitate, diverſiſſimas induant Naturas plantæ, notiſſimum eſt quotidiana experientia, & demonſtratum à nobis, in *Horticultura noſtrâ*. Exempla plura hic congerere, non eſt operæ precium. Intuere *cicutam*. Ea in nonnullis locis innoxia naſcitur: Athenis ſummè venenoſa: ut proinde Socratis ſupplicio famigerabilis facta ſit. Intuere *Arum*. Id his in locis tam acre eſt ac mordax, ut linguam adurat flammæ inſtar. In Cyrenis vero, teſte *Galeno*, eſtur commodiſſimè, & vel ipſis rapis antefertur in cibo.

Ad eum modum quidni Aſphodelus in his regionibus eſui ineptus gigni poſſit, & ingrati ac nauſeabundi ſaporis? in Agro vero Aſcræo ſapidi & alimentalis ſucci? inprimis cum agri Aſcræi tam fuerit benigna, tam fertilis & ſalubris natura, ut nunquam fimo illum refocillare opus fuerit. Nam *Heſiodus* curioſus Agriculturæ doctor, nuſpiam toto ſuo opere ſtercorationis memoriam injecit.

4. *Vel deniq;* dixero, *Heſiodi* ætate, rudi illo & duro ſæculo, aut tantam fuiſſe ciborum frugalitatem, ut, (canente *Lucretio*)

Quod ſol ac imbres dederant, quod terra crearat,
Sponte ſuâ ſatis id placaret pectora.

aut eo corporis viriumque robore fuiſſe homines

———durum genus illud in arvis,
Et majoribus, & ſolidis magis oſſibus intus
Fundatum, & validis aptum per viſcera nervis;

ut à cibo aſperiore, & vili, & duro, minimè læderentur. Si enim ingratiſſimos palato noſtro *arbuteos fœtus,*

Et quæ deciderunt patulâ Iovis arbore glandes,

eſitare, inque ventrem ſuum ingerere ſolemne ac quotidianum illis fuit, quur non & radices, tuberaque Aſphodeli aſſumere potuerunt in cibum?

Nicander in Theriacis hunc habet verſum. Ἄγχι δ' Ἀσφόδελος διοάνθεον ἄλλοτε ῥίζαν. Vocat διοανθέα, quaſi δὶς κατ' ἐνιαυτὸν ἀνθοῦντα. Apud nos floret Majo & Junio. Primo omnium incipit florere juxta medium ſcapum. In cacumine noviſſimè prorumpunt flores; ut forte eo merito eum bis dixerit *Nicander* florere.

Theophraſt. caulem Aſphodeli peculiari nomine appellat Ἀνθέρικον: *Dioſc.* vero id nomen tribuit toti plantæ: aitque *Theoph.* Aſphodelo caulem eſſe inter omnia bulboſa maximum, quem honorem rectius nos adſcripſerimus coronæ Imperiali.

Apud *Homerum* λ. & ω. *Odyſſ.* Ἀσφοδελὸς ὀξύτονον eſt, epitheton Prati.


αὖψα δ' ἵκοντο κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

Interpres vertit herboſum pratum; ubi ſcilicet plurimus Aſphodelorum proventus.

t CAPVT

CAPUT VIII.

ASPHODELUS LILIACEUS.



I. NOMEN.

HUic plantæ flos eſt figurâ Lilio ſimilis. Radix vero inſtar Aſphodeli tuberoſæ; unde Nomen eſt compoſitum *Liliaſphodelus*, λειριασφόδελος.
Liliago, Liliaſtrum.
Aſphodelus liliaceus: ſeu *liliflorus*.
Germ. Lilien von einem Tage.

II. DIFFERENTIÆ.

NOn ſunt multæ. Una eſt quæ à florum Colore petitur, dum alius eſt *croceus*, alius *albus*.

III. SPECIES.

I. *Liliaſphodelus flore croceo rubente obſoleto colore.* Flos non diu durat, quo fine Hemerocallis dicitur. Ingrati odoris.
II. *Liliaſphodelus, flore luteo: ſuaveolens: rarior, durabilior.*
III. *Liliaſphodelus, flore albo, rariſſimus.*

IV. VIRES ET USUS.


Neque in Re culinaria, neque medica ullius uſus.

V. CULTURA.

NOn indiget cura curioſa: Propagatur ſponte per tubera: & ſæpe plus quam Hortulanus deſiderat.

CAPVT IX.

BULBOCASTANUM.



I. NOMEN.

A Caſtaneis nomen indepta eſt tuberoſa hæc planta. Loco Radicis habet Tuber, tum magnitudine, tum ſapore æmulum Caſtaneæ.

Vulgo dicitur *Nucula terreſtris.*

Bunium.

Caſtanea porcina. Caſtanea terræ.

A nonnullis non ſine errore *Oenanthe, Apios, Ineum, Bulbina.*

Græc. βαλανοκάςανον: Αγελοκάςανον. Ἀνεμόσφορον ὀρχικόν.

Germ. Erdkaſten/klein Erdnuß/Schefernuß/Clyſter offt Knobbel Kaſtanien.

Gall. Fauorottes:

Ital. Pancaſeolo: id eſt, Panis & Caſeus; quoniam Ruſticis vicem ſupplet, & panis ſimul & Caſej, in ſedanda fame.

II. III. DIFFERENT. ET SPECIES.

Præter unum genus, nihil nobis innotuit.

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Quid Emolumenti ſperandum à Bulbocaſtanis, id Itali ſua voce *Pancaſeolo* ſatis expreſſerunt.

In cibis ſumpta tubera cocta, non cruda, non ſolum ſapida ſunt, ſed & bene nutriunt, haut minus quam Paſtinacæ.

IN RE MEDICA. Qui bulbocaſtanum rentur eſſe verum *Bunium*, easdem ei vires, quas Bunio *Dioſc.* aſſcribunt. Radix mediocriter calida, ſiccaque, & facultatis aſtringentis. Semen aperiendi vi magna preditum eſt; quapropter utiliter uſurpatur, *ad menſium obſtructionem* reſerandam; ad pellendas *ſecundinas*; ad *urinam* promovendam recludendosque *infartos Renes, veſicam & lienem.*

Tubera hæc ſalubria ſunt illis, qui ex *equo* aut loco altiori *deciderunt,* quibus ita viſcera vaſaque intus ſunt concuſſa, vulnerataque, ut ſanguinem ſpuant aut mejant: qui denique *urinæ* involuntario profluvio torquentur.

V. CULTURA.

CReſcit Bulbocaſtanum paſſim in agris hortisque; ſed frigoris eſt valde impatiens: unde *Geſner. Hort. Germ.* conqueritur, Bulbocaſtanum ſe aliquot annis aluiſſe in horto; jam vero perdidiſſe; quia Autumno transplantatum non ſatis profunde, perditum ſit, & enecatum à frigore,

Bulbocaſtanum hyeme viret; æſtate evaneſcit.

VI. COROLLARIUM.

QVi Bulbocaſtanum cum glandibus terreſtribus (de quibus nos *cap. XI.*) confundunt, næ illi nimis inſcite agunt. Bulbocaſtani herba anetho aut fœniculo ſimilis eſt. Glandes terreſtres herbam producunt qualis cicerculi.

CAPVT X.

CYCLAMEN.



I. NOMEN.

Ἡ κυκλάμινος, *hæc Cyclaminus: Hoc Cyclamen*; quia εἰς κύκλον, ſeu in orbem quaſi rotundata radix eſt; quanquam umbilico potius (nodulo illi quo antiqui libros claudebant, de quo *Martialis*,

Iam pervenimus usq; ad umbilicum)

videatur ſimilior; unde *umbilicus terræ* appellatur: itemque *terræ rapum, malum aut tuber.*

Panis porcinus; Panis Fauni.
Orbicularis ſeu Sphæritis Aetii.
Teſtudinaria. (quaſi câ delectentur hæc animalcula.)
Palalia: Trymphalita: Arthanita Meſuæ.
Sigillum B. Mariæ.
κισσόφυλλον, κυσσάνθεμον, à foliis hederaceis.
Ἰχθυόθηρον.
Germ. Verkens/offt Soegenbrot: porci eo avide veſcuntur. Schweinbrot. Erdöpffel. Erdnüß/ Erdbrot/Erdſchuke.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A florendi tempore:* Cyclaminus alia verna; alia æſtiva; alia autumnalis.
II. *A natali ſolo*, Germanica, Gallica, Bizantina.
III. *A foliis:* rotundifolia; ſerrata.
IV. *A colore florum*; purpurea, incarnata, alba.
V. *Ab odore:* ſuaveolens, ſine odore.
VI. *A magnitudine* major, minor.

Differentiæ plures ſunt aliæ, quas volenter prætereo: Aliquæ Cyclamini folia picta poſſident maculis albis magnis: quædam exiguis: quædam in centro: quædam in circumferentia: Aliis magis; Aliis minus ſerrata ſunt folia.

III. SPECIES.

CYCLAMINUS VERNA.

I. *Cyclam. foliis rotundis, maculoſis, flore purpureo ſuaveolente.*
II. *Eadem foliis oblongis.*
III. *Cyclam. rotundifolia floribus albis.*
IV. *Eadem floribus luteis.*
V. *Cyclam. ſpuria, foliis violariæ: radice cordis effigie: flore flavo.*

ÆSTIVA.

VI. *Cyclam. orbiculato folio, ſeu rotundifolia; inferius purpurea; vulgaris, flore purpuraſcente, odoro.*
VII. *Eadem flore albo.*

VII. Cy-

VIII. *Cyclam. foliis maculoſis, anguloſis, flore purp.*
IX. *Eadem flore albo odoro.*
X. *Cyclam. hederæ folio; floribus inodoris purp.*
XI. *Cyclam. pumilio; minor; radice inſtar avellanæ.*

AVTVMNALIS.

QVæ ſequuntur ſpecies, plæræque omnes ſuaveolentes ſunt, florentes initio autumni, & folia tum item proferentes, quæ tota ſervant hyeme, perduntque iterum Aprili menſe.

XII. *Cyclaminus floribus purpureis, ſuaviſſimè olentibus; radice rotunda, palmaris magnitudinis.*
XIII. *Cyclam. eadem radice oblonga: μακρόῤῥιζος.*
XIV. *Cyclam. folio ederaceo: Byzantina; πολυανθής, radice planâ, æquante palmum. Primo anno flores dat* XX. *ſecundo* L. tertio CC. *prorſus inodoros.*
XV. *Cyclam. Belgica, radice maxima, libram pendente, flore rubro ſine odore.*
XVI. *Eadem flore incarnato.*
XVII. *Eadem flore albo.*

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI, non eſt ulli commodo, quod ſciam, Cyclaminus, niſi id commodum vocare velis, quod radix injecta vino, vim illi conciliat adigendi bibentes ad celerem ebrietatem.

Plinius lib. 21. *cap* 9. Florem coloſſinum cyclamini in coronas admitti ſcribit.

Tuberibus quidem delectantur porci: Lupi tamen & vulpes iis comeſtis intereunt.

Mulieres *uterum ferentes* jubentur ſibi cavere ab uſu, imo *ſi Dioſcor.* credendum, à contactu etiam cyclamini; quippe quæ eas conjicit in præſentem perniciem vel *abortus*, vel *interitus fœtus.*

IN RE MEDICA. Radix cyclamini donata eſt facultate calida & ſicca, ſuâq; naturâ incidit, attenuat, reſerat obſtructa.

Exterius. Tubera in *cataplaſmatis* formam redacta, ventri impoſita, *colicam* auferunt, natam à lenta pituita, aut remoratis recrementis.

Succus aceto temperatus anum prolapſam reducit ad ſedes naturales illitus. Paratur autem *ſuccus* ita: contunduntur tubera: ſuccus exprimitur: decoquitur lento igne ad mellis craſſitiem.

Aqua in qua elixata ſunt tubera, *ſcabiei* affricta medetur: *cutim* reddit nitidam: tollit *cicatrices* & *maculas*, relictas à variolis & morbillis.

Succus cum melle *oculis* claritatem addere dicitur, & auferre nebulas, aliaque id genus impedimenta viſus.

Idem

Idem ſuccus illitus umbilico & abdomini, *ventrem movet*. Gravidis vero ſi id fiat, *abortire* eas facit. Radix cyclamini excavata, repletaque oleo, tum cocta ſub cineribus, addito pauxillo ceræ, ut fiat *unguentum*, efficaciter medetur *pernionibus* & omnibus tumoribus frigidis.

In Pharmacopoliis parata habentur duo *Vnguenta* è ſucco cyclamini (quam etiam *Artanitam* vocari diximus) *De Artanita majus*, & *minus*. *Majus* illitum ſtomacho, purgat *vomitu*: illitum Hypogaſtrio, movet *alvum*; juvat *hydropicos*, ſerum evacuando. Quin & *Vermes* educit: utile medicamen illis, qui per os Pharmacum haurire nequeunt. *Minus ſplenis* regioni inungitur, cujus ſcyrrhos & obſtructiones diſſolvit.

Interius: In uſu Cyclamini interno, duo ſunt obſervanda: 1. Ut Radix legitime præparetur, ne qua inferat damnum: 2. ut qui uſurpat, ſtudeat ſe in calorem aut ſudorem dare.

Præparare Radicem *Lobelius* jubet, uti aſſolet corrigi Radix Bryoniæ. Alii ſucco expreſſo addunt Maſtichen, vel nucem Myriſticam, vel Rhabarbarum: Alii aliquid ſacchari. Alii ſatis correctam putant adjecto oleo, dum ſcilicet in *Clyſteribus* utuntur. Præcipua utilitas Tuberum cyclamini, aut ſucci ex iis expreſſi, ſpectatur in *Ictero* abigendo. Nam non ſolum obſtructas vias recludit; jecur & veſiculam mundat: Sed etiam expellit per ſudorem bilioſas ſuperfluitates per habitum corporis diſperſas. Sumitur cum vino dulci, aut mulſo, & ad ſudandum componitur corpus.

Deinde *catharticis* quoque medicamentis accenſetur cyclaminus. Radix exſiccata (ſecta in taleolas, & ſervata, ut ſolet ſervari radix ſquillæ) pulveriſata, bibitaq; pondere ʒij, vel ʒiij, cum mulſo *pituitoſos humores* per ſeceſſum expurgat, & utiliter datur *hydropicis* ac *Hepatariis*.

De hac purgante cyclaminis vi, nemo non practicorum monuit. *Braſſav.* vero *Exam. Cathar.* eam elevare videtur: memorat ſe alicui in acetariis exhibuiſſe crudam, neq; dum præparatam, aut liberatam à ſuſpecta violentia. Exhibuiſſe vero vſque ad ℥j. verum non eduxiſſe multum, neque votis reſpondiſſe eventum. Etiam ſuccum expreſſum ex Radice ad ʒvj, propinaſſe, ſimili effectu fruſtraneo. Alias vero præbuiſſe radicem in puluerem redactam, pondere ℥j. in jure: At non ſequutam eſſe κάθαρσιν. Semel aliquando quendam in acetarius comediſſe ʒiij. vno ferculo, & deieciſſe ſatis copioſe pituitam craſſam.

Ex ſucco cyclamini nobile *Errhinon* paratur; adverſus oculorum obſcuritatem, capitisque affectus: ejiciendo pituitam, & per nares ac palatum educendo.

Ad *aurium* affectus expertum hoc eſt. Radix Cyclamini contunditur; maceratur oleo Amygdalarum amararum, aut Camomil. aut Roſar. Affunditur ſpiritus vini aliquantum ad macerandum. Poſt exprimitur oleum. Id inſtillatum auri dolenti, aut alias laboranti ſurditate, tinnitu &c. efficacis eſt adjuvaminis. Veſpere dormiturientis auris occludenda eſt medulla radicis hujus; & mane auris eluenda vino tepido.

V. CULTURA.

CYclaminus odit loca aprica, amat opaca & umbroſa.

Propagatio ejus partim è *ſemine*, partim è *fruſtulis* oculatis tuberum.

1. *Semen*, hoc mirabile ac peculiare habet, diverſum à plantarum cæterarum ſeminibus, quæ in terram conjecta, foliola ac novas plantulas ſuo tempore oſtendũt. At ſemen cyclamini ſatum nõ conformatur in herbam, ſed in terra adoleſcit in bulbum, ex quo tandem multo poſt erumpũt folia, floresq; tertio aut quarto demum anno à ſatu.

Enimvero poſtquam flos à parente radice fuit productus primum; deinde naſcuntur folia, durantia per autumnum & hyemem; & æſtate ſequente demum ſemen perficitur, quod tum propere telluri eſt committendum.

2. *Tuber* Cyclamini prominentias aut ſtylos quosdam, è quibus flores, emittit. Hæ avulſæ & plantatæ, ſucceſſu temporis notam plantam largiuntur.

VI. COROLLARIUM.

EÆ Cyclamini ſpecies nobiliores cenſentur, quæ in foliis maculas albas latiores gerunt: item quibus florum ac foliorum copioſior numerus.

CAPUT XI.

GLANS TERRESTRIS NOSTRAS LEGUMINOSA.

I. NOMEN.

G*Landis* vox ex eorum numero eſt terminorum, qui πρὸς ἓν καὶ ἀφ᾽ ἑνὸς dicuntur, ob convenientiam quandam ſeu figuræ, ſeu naturæ.

1. *Principali* ſignificatu *Glans* eſt fructus omnium arborum glandiferarum, fagi, ilicis, eſculi, roboris, cerri, ſuberis, pręcipue vero quercus, de qua intelligendus *Virgil. l. 1. Georg.*

Liber & alma Ceres, veſtro ſi numine tellus
Chaoniam glandem pingui mutavit ariſta.


Nimirum priſca illa aurea ætate primi mortales glandibus veſcebantur. Ceres v. eos poſtmodum docuit, relicto victu tam agreſti, ac aſpero, frumentum conſerere; ſegetes curare; aptareque in cibum & panem quotidianum.

2. Ad Ideam nativarum glandium formatum *plumbum*, quod antiqui bellatores è fundis, hodierni è bombardis jaculantur, glandis itidem appellationem accepit.

3. In *animalibus* dicuntur glandes, aut glandulæ, carnea, quædam corpuſcula, rotunda, cõpacta, modo interjecta & innata pinguedini, modo juxta alia corporis membra. In ſuibus inde dicta eſt *Caro glandoſa* magni precii, & laudis, & lautitiei apud antiquos. *Plaut: Menæch. Iube tribus nobis apud te prandium accurari; glandulam ſuillam, laridum, pernam itidem, Columella* porcum laudat, qui eſt ampla & *glanduloſa cervice.*

4. A glandibus arboreis per analogiam *Glandes terreſtres* appellãtur, tuberoſæ quædam radices plantarum; ſeu quia figura, ſeu quia ſapore, ſeu quia carne, & ſubſtantia glandes arboreas æmulãtur. Hujusmodi glandium terreſtrium nomenclatura à Botanicis tribuitur plurimis iisq; diſtinctiſſimis ſtirpib⁹, *Eſulæ tuberoſæ; Cyclamini; Bulbocaſtano*; Verum κατ᾽ ἐξοχὴν Glandes terreſtres dicũtur illæ, de quibus tum hoc, tum ſequenti capite

GLANS TERRESTRIS NOSTRAS LEGVMINOSA.



capite nobis ſermo erit. Duum hæ quippe generum: Quædam antiquæ & jam dudum noſtro orbi cognitæ; Quædam non ita pridem ex America huc illatæ.

Glans terræ noſtras aliis item nominibus inſignitur.

Nobilis eſt *Muſculus repens:* tum, quoniam figuram muris animalis eleganter repræſentat, colore ſubnigro, figura tereti, cauda tenui oblonga: tum, quia mirifice ſerpit per terram, quaqua verſum ſe propagando, adeo ut quo ſemel nidum congeſſit, vix inde ſe iterum exſtirpari patiatur.

Spuriæ ſunt, & minus nativæ ſequentes appellationes.

Apios aut Pſeudoapios.

Tithymalus tuberoſus.

Ornithogalum Cordi.

Artanita Avicennæ.

Arachidna Theophraſti ex ſententia *Fab. Columnæ.* Ἰσχὰς ſeu *caryca*, aut *Ficus Gaza.*

Cur damnemus has appellationes, indicabimus in *Corollario.*

Veriora, & convenientiora nomina ſunt hæc.

Aſtragalus arvenſis.

Lathyrus repens tuberoſus. Horum duorum deſcriptiones, à *Dioſc.* & *Theophr.* nobis relictæ, oppido huic plantæ conveniunt.

Nux aut ficus terræ.

Panis porcinus.

Græc. χαμαιβάλανος.

Germ. Erdnuſſe/Erdſeigen/Erdeichlen.

Erdwurtzelen/Erdackeren/Erdmandelen.

Gründeichelen/Ackereichlen.

Knolwurtz/Sawbrod/Erckelen.

Aerdackers/Aerdnote/Aerdeeckelen.

Muyſen mitt ſteerten.

Gall. *Tarnotes. Glands de terre.*

II. III. DIFFERENTIÆ, ET SPECIES.

Nulla eſt hic, præter unam ſpeciem, varietas.

IV. VIRES ET USUS.

GLANDES terreſtres ſunt facultatis modice calidæ ſiccæque, & nonnihil aſtringētis.

IN RE FAMILIARI. Frequentes ſunt in cibis, inprimis apud Batavos, ubi vel elixæ, vel coctæ ſub cineribus, publice venduntur, & eſitantur magna aviditate. Nutrimentum præbent non omnino contemnendum: Neq; ſolum ſuaves ſunt guſtu, ſed etiam nimium fœminarum fluorem ſiſtunt, unde tantopere ab iſtis appetuntur.

Viri vero eaſdem mandunt, ad promovendos & augendos conatus venereos. Nimium comeſtæ flatus ac pituitam generant; gravantq; ventriculum: interdum etiam cum nauſea.

IN RE MEDICA. Ex floribus aqua deſtillatur, quæ (ut ajunt) *aquam roſaceam* egregie mentitur.

V. CUL-

V. CULTURA.

SIne ulla Hortulani induſtria creſcunt glandes terreſtres, & ſemel ſatæ aut plantatæ perennant (ſi quis permittat) ſine interitu. Propagari poſſunt partim per *ſemen*: partim per *glandes*.

1. Poſtquam defloruerunt (quod fit circa Julium) producunt ſiliquas, cicerum aut erviliorum more, in quibus continentur ſemina, ceu piſula, quæ in terram conjecta infra glandes, ſupra herbam ferunt leguminoſam.

2. Ipſarum vero glandium aliquæ, cæteris exemptis, vel reponi poſſunt, & ſeorſim in conclavi aſſervari, vel relinqui in terra, ut propagentur.

Tanta eſt earum fœcunditas, ut etiam ciſtis ligneis incluſæ, (quod aliquando feci, ut nimiam earum luxuriam à vicinis pulvillis averterem, defoſſis nihilominus ciſtis in terra) per foramina & rimas fibras emittendo, repant, ſeque expandant per vicinum ſolum.

VI. COROLLARIUM.

NExuimus ingreſſu hujus capitis Catalogum aliquot appellationum, quibus glandes terreſtres donaverunt Botanici, falſo; quæque neutiquam propriæ ſunt, neu revera illis convenientes. Id jam ordine & ſuccinctè demonſtrare parati ſumus.

Quæritur an hæ glandes ſint: 1. *Apios Dioſcoridis?* Aut 2. *Arachidna Theophraſti?* Aut 3. *ἰσχὰς ejusdem?* Aut 4. *Tithymalus tuberoſus?* Aut 5. *Ornithogalum?* Aut 6. *Artanita Arabum?* Negamus nos ullum horum eſſe. Rationes & fundamenta noſtræ ſententiæ intellige.

1. *Dioſcoridi* ἡ Ἄπιος duo ſignificat, 1. Pirum domeſticam, de qua ipſe *l.* 1. *c.* 167. 2. Peculiarem plantam, de qua idem *l.* 4. *c.* 177. quam ita nominavit, quia radicem habet piro fructui ſimilem, ſed paulo rotundiorem. Cæteroquin ea ipſa *herba, Apios*, juxta *Dioſc.* 1. Ramulos ſpargit duos aut tres, junceos. 2. Radix purgatoria eſt; tam ſupernè quam infernè. Noſtra hæc glans leguminoſa; neq; piri forma donata, neque rotunda eſt, ſed teres inſtar muris. Tum non 1. illi ramuli juncei bini aut terni, ſed herba viciis aut erviliis ſimillima; in ſexcentos ramulos divaricata. 2. tantum abeſt, ut purget radix ſeu ſupra ſeu infra, ut potius alvum ſtipet, & duriorem faciat.

2. *Arachidnam* quod ſpectat *Theophraſt.* duobus locis τῆς Ἀραχίδνης meminit. *l.* 1. *c.* 1. *Hiſt.* ſub finem his verbis: Καὶ ὅσα δὴ καὶ ὑπὸ γῆς φέρει καρπὸν, οἷον ἡ Ἀραχίδνα. & *eodem l. c.* 11. φύλλον δὲ οὐδέτερον ἔχει τούτων, (loquitur de Arachidna, & alia planta ſimili τῷ Ἀράκῳ,) οὐδ᾽ ὁμοία τοῖς φύλλοις, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀμφίκαρπα μᾶλλόν ἐστιν, καὶ φαίνεται θαυμάσιον. Hic arachidnæ quidem fructum aſcribit ſubterraneum, & (quod mirum eſſe ait) fructum quoque ſupra terram: ſed addit, neq; folia ulla illi eſſe, neq; veſtigia quidem, aut quidquam ſimile foliorum. Glans autem terræ, & caules, & folia, & flores pulcherrimos producit. Qualis propriè ſtirps ſit *Arachidna Theophraſti*, dubito an adhuc certo conſtet. Vox quidem compoſita videtur ab ἄρακος, Cicere, καὶ ὕδνου tubere, quaſi diceres Cicericulam tuberoſam; Verum cum nullum folium producat, neu caulem, neſcio quid de ea cenſeri debeat.

3. Ἰσχὰς ſeu *caryca*, aut *ficus*, quod ſit hæc terræ glans, error merus eſt; quem inde

enatum autumo, quod ejus plantæ, quam à *Dioſc.l.4.c.177.* Apion nuncupatam dixi, definitionem proponens *Theophr.l.9.c.10.Hiſtor.* non multum abludentem ab illa *Dioſcoridis*, ſcripſerit Ἄπιον etiam vocari ἰσχάδα: ἡ δὲ ἰσχὰς, inquit, ἡ ἄπιος. Nunc vero quia Glans terreſtris prodita & credita fuit à plurimis eſſe *Apios Dioſc.* (quamvis ablucinatione manifeſtâ) ea propter *Gaza* eandem glandem etiam dicendam putavit ἰσχάδα. ſic ex errore primo natus eſt ſecundus: & lubrico fundamento impoſitum tectum labile.

IV. *Tithymalus tuberoſus* toto genere differt à glande noſtra, quæ cum illo ne hilum quidem ſimilitudinis poſſidet.

V. *Ornithogalum* etiam, quantum à glande terreſtri diſcriminetur, ex utriusque deſcriptione facile elucescit. iſti flos eſt vel albus, vel flavus: huic noſtræ purpureus: Iſta eſt planta erectò ſurgens: hæc repens per terram, ut vicium aut cicer: Iſti pro radice eſt bulbus unus; hujus ſub una plantula tubera ſæpe triginta, aut amplius.

VI. *Artanita Avicennæ*, ſi eſt Cyclaminos, ut Vulgo habetur, certè glans terræ Artanita eſſe nequit; quia Cyclaminos, & glans terræ, ſunt plantæ ſpecie differentes. Eſſe autem Artanitam nihil aliud, quam cyclaminum, liquere poteſt *ex cap.X.*

CAPUT XII.

GLANS TERRESTRIS MALACENSIS.

I. NOMEN.

Vbera glanduloſa exoticæ hujus plantæ, perquam ſimilia ſunt muſculis noſtris repentibus, quoad figuram, & ſaporem; quamquam magnitudine eos ſuperent. Diſcriminis ergo addidimus his titulum patronymicum. Americæ provincia *Velez Malaga* omnium primas & optimas miſit in Hiſpaniam. Quando primulum cæperunt cognoſci, priusquam Hiſpania ipſa eas educaret, plusquam duodecim naves grandes iis onuſtæ Seviliam quotannis advehebantur, indeque diſtrahebantur per totam Hiſpaniam. Nunc ibi familiares ſunt, ubivis creſcentes, ſicuti & in Anglia. His autem in locis ægrè germinant, raroq; bonæ fiunt frugis. Ab iſta igitur *Malaga*, dictæ ſunt *glandes Malacenſes.*

Nomen gentilicium in America eſt, *Batata*; *Batatas*; *Camotes*; *Amotes*; *Aies.*

II. III. DIFFERENTIÆ ET SPECIES.

QVamvis una ſit harum glandium ſpecies; in colore tamen aliquæ ſpectantur differentiæ. Planta ſeu herba una eſt, ſemperque ſibi ſimilis, at glandium quædam cruſtâ veſtiuntur rubrâ, (quæ optimæ) quædam cinereâ aut albicante; (quæ ignobiliores.)

IV. VIRES ET USUS.

IN RE FAMILIARI. Glandes Malacenſes cibũ præbent multi nutrimenti, mediq; velut

GLANS TERRESTRIS MALACENSIS.



velut ſubſtantiæ, & bonitatis, inter fructus & carnes. Flatuum quidem origini occaſionem præbent; ſed id vitium corrigitur coctione & vini meracioris hauſtu.

Coquendi eas & præparandi eadem eſt ratio, quæ Adenum Canadenſium. Elixantur, aut aſſantur, calidis cineribus: detractaque pelle eſitantur cum juſculo vervecum, caponum, &c. aut cum vino, aqua roſacea, & ſaccharo: aut cum oleo, aceto, ſale, pipere: Aut coquuntur cum prunis Damaſcenis in vino.

In re medica. Qualitatis ſunt temperatæ, nullo inſignes exceſſu caloris aut frigoris. Parantur ex iisdem *conſervæ, morſelli, placentulæ* (*Marmilladas* vocant Hiſpani) aliaque *Tragemata*, gratiſſimi ſaporis, Cydoniorum carni præparatæ nil cedentia. Veluti in noſtris pharmacopoliis pro delicatioribus parari aſſolet *Cydoniatum* laxativum, addita quantitate conveniente *Dacrydii*: Haut ſecus ex glandium Malacenſium carne confici poſſunt medicamenta ſimilia, æquè delicata ac ſalubria. Breviter; fundamentum præbent Glandes Malacenſes omnis generis eduliis, & pharmacis adparatis.

V. CULTURA.

Batata nonniſi improbo labore in noſtrate ſolo cæloque germinat. Calorem enim efficacem poſtulat, & terram inſigniter feracem, lenem, pinguem.

Propagatur vel per glandulas minores integras, vel per majora in fruſta conciſa. Si nactæ fuerint terram, genio ſuo aptam, intra octavum menſem à ſatu edules fiunt. In Malaca tanta earum eſt fœcunditas, vt vna ſæpè glans integrum pondo adæquet.

Noſtris in hortis planta herbam quidem, at nunquam flores aut ſemina largitur. Unde nondum mihi conſtat, an per ſemen ſe propagari patiatur.

VI. COROLLARIUM.

Effigies & conſtitutio Glandium Malacenſium ita habet:

Tubera, quæ natura ſua oblonga, ſpithamam quandoque æquantia, inæqualia, filamentis nonnullis, tanquam murium caudis, inſtructa, colore ruffo, aut albo: cuſpide tenuiore cohærentia ab uno pediculo non ſecus ac ſiſari radices: hæc, inquam, tubera adepta ſolum aptum, gignunt ex ſe herbam humi ſe expandentem, qualis ſolet eſſe cucumeris Aſinini facies; caulibus ſucculentis, æqualibus, foliis craſſis, ſub viridibus, figurâ proximè accedentibus ad Ari aut Spinachiæ folia.

Florem nondum vidi, neque ſemen: Neque credo hic locorum floriferam eſſe.

CAPUT

CAPVT XIII.

GRAMEN AMYGDALOSUM.



I. NOMEN.

PLacuit nobis indigetare *Gramen* πυρηνόφορον, id eſt, *Nucleiferum*, aut *Amygdalinum*; quia folia graminea profert, Cyperi o ſeu gramini ſimilia: vel, ut habet *Scalig. Exerc.* 181. 25. (ubi elegantem proponit plantæ hujus deſcriptionem) minutioris ſpeciei carycis, ſeu ut *Alexand. Bened. Curat, l.* 24. *cap.* 18. ſimilia carecti, ſed minora. Sub radice vero nuclei exiles, corrugatorũ parvarum amygdalarum, aut olivarum exiliũ, aut baccarum corni arboris inſtar, pullulant. *Matthiolo* placuit eas comparare ſericinis Erucis, quæ ferventi balneo elixæ, contrahuntur, dum ſerica ſtamina mulieres inde conglomerant.

Nos ab *Amygdalis* denominavimus, ob ſaporem dulcem, & ob figuram, & ob pelliculæ externæ colorem. Sunt tamen neq; tam magnæ ut amygdalæ; neque una extremitate acuminatæ, ſed utrobivis æqualiter teretes, ut olivæ.

Eſt ea planta, quam vulgò vocant *Thraſi Veronenſium*, quoniam (ut ex *Matthiolo* plærique Botanici perhibent) nuſpiam niſi in agro Veronenſi, iſtic tantum & non alibi naſcatur. Ego verò in hortis meis magna copia educavi, non minoris perfectionis, quam ſunt Veronenſes. Nomenclaturæ illi variæ aſcribuntur, ex quibus quædam falſæ, quædam ſatis commodæ. Convenienter appellatur *Dulcichinum. Dulcinium. Cyperus eſculentus, anguſtifolius. Iuncus avellana*, σχοινοκάρυον. *Margarita Ægyptia*. Minus verè & propriè dicitur *Holoconitis Hippocratis Anthalium Plinij. Malinathalla Theophraſti.* μαμιεῤς *Æginetæ. Arabum Habelzelim, Habaziz, AlZelin, Granum Zelini*.

Propria nomina Italica ſunt: *Dolce guini: Dolzolini, Zizola de terra*. Germ. Süſſer wilder Galgan. Arabiſch oder Indianiſche Zuckerwurtzlen. Soete Cypernuß.

Jurene an injuria dixerim, iſtarum appellationum quaſdam perperam & falſo gramini amygdalino tributas eſſe, liquere & diſpici poterit ex *corollario*.

II. III. DIFFERENT. ET SPECIES.

Nulla eſt varietas.

V. VIRES ET USUS.

NAtura tuberculorum horum humectans eſt, & calefaciens, habentque id commune cum omnibus fere tuberoſis, & bulboſis, ut ſint flatulenta aliquatenus. Uſus eorum partim in cibo, partim in medicaminibus.

In re familiari. Venetijs, Veronæ, locisque accolis inter bellaria, & menſas ſecundas, Dulcinia apponuntur cruda. Maſticantur, & ſugendo elicitur ſuccus: pellis cum reliqua duriori ſubſtantia abjicitur, quæ nimis tenax, & eſui prorſus inepta. Paratur exinde egregium irritamentum ad Venerem, dum tubercula elixata, piſtaque in mortario, cum aqua Erucæ, aut juſculo galli, exprimuntur, donec reddant lac aut ptiſanam. In eum finem communis plebecula Veronæ, Paduæ, Venetijs, & alibi, plenos cophinos, quotidie venum exponunt.

In re medica. Præterquam quod *emulſio* ex nucleis Thraſi patrata (eo modo quo ſolet ex amygdalis) emaciatis & elumbibus vires reſtaurat, etiam nobile remedium

præſtat

præſtat adverſus *Thoracis* affectus, *aſthmata, tuſſes*, itemque *dolores laterum*. Inprimis verò commendabilis eſt, ad tollendum *urinæ ardorem*, nec non *ignem ſacrum* aut eryſipelata. Enimvero acredinem & fervorem ſanguinis humorumque cæterorumq; mitigat. *Cremor* ſeu *Ptiſana* ita paratur. Contunduntur probè tubercula in mortario, additis pauculis granis ſem. melon. Affunditur juſculum galli aut pullorum, & piſtillo ſufficienter comminuuntur omnia; poſt exprimitur ſuccus, & cum momento ſacchari fit emulſio, utiliſſima, ut dixi, emaciatis, tuſſientibus, pleuriticis, ardore urinæ laborantibus, & eryſipelate.

Cruda tubercula maſticata, & poſt ore aliquamdiu retenta, ſiſtunt *humores acres* è cerebro profluentes in pectus.

V. CULTURA.

SOlum poſtulat hoc gramen bene commotum, neutiquam compactum. Autumno glandulæ eximuntur è terra; ſervantur per hyemem loco à frigore immuni, & primo vere redduntur hortis.

Hæc eſt unica earum propagatio. Nam ſemen ab ijs gigni nondum vidi. Neque in Italia (fortaſſis nec in Inſula Malta, ubi celebris eſt hujus plantæ cultura) ad ſeminificium pervenit; quanquam flores ſpicatos, coloris flavi, iſtic producere perhibeatur. Unde quantum fidei adhibendum ſit ijs, qui cum *Poma Deſcript. Montis Baldi*, & *Geſnero in Hort.* negant vel caulem vel prolem produci, quilibet intelligit.

VI. COROLLARIUM.

OPortet nos jam vindicare aſſertionem noſtram, qua enuntiavimus ſub capitis exordium, appellationes quasdam, quibus gramen Cyperoides amygdalinum inſigniverunt Botanici, minus reſpondere naturæ ipſius plantæ, nimiſq; abludere à probabilitate.

Erant enim ſequentes. 1. *Holoconitis Hippocratis*. 2. *Anthalıı Plinij*. 3. *Mamiras Æginetæ*: 4. *Granum Alzelin, vel zelini Arabum*. 5. *Malinathalla Theophr.* ambiguum eſt quid debeat cenſeri.

I. *Holoconitis Hippocr.* Hippocr. *lib.* 1. *morb. mul.* agens de ſecundinis pellendis, harumque remedijs, inter alia medicamen proponit, quod ipſi dicitur Ὁλοκονίτιδος τῆς γλυκείας ῥίζα. Ἔστι δὲ ὡς ὁ βολβός. Σμικρὸν δὲ ὡς ἐλαίη. Mox adjicit: *Hanc in vino terito, ac bibendum dato. Et ſiquidem parva fuerit, dato duas, ſi vero major, una ſufficit. Admiſceto autem ex ſeminibus cuminum Æthiopicum, aut ſeſeli Maßilienſe.*

Hic textus, mirum, quantas turbas concitarit inter *Guilandinum*, *Geſnerum*, & *Matthiolum*. *Iſti*, profiteri & defendere, *Holoconitin eſſe Dulcichinum*: *Hic* contra ardentior ire; & omni ſtudio idem inficiari.

Iſti ſe defenſum iverunt his adminiculis. 1. Quia *holoconitis* eſt radix dulcis; tale & dulcichinum. 2. quia iſtius radix bulboſa; talis & hujus. 3. quia iſta æquè magna ac oliva: hæc ſimiliter.

Matthiolus èverſurus hanc *Guilandini* aſſertionem, argumenta producit in ſcenam, quorum aliqua certè non ſunt magnæ efficaciæ; aliqua vero ſatis bona & robuſta. Infirmiora hæc ſunt:

1. *Holoconitis Hippoc.* (ait) *eſt bulbus. At radix Dulcichini bulbus non eſt ſed nucleus cortice duro tectus.* Reſponderi poteſt: Primum *Hipp.* non ait verum bulbum eſſe, ſed ſimilem bulbo: ἔστι δ' ὡς ὁ βολβός. Deinde potuit *Hippoc.* bulbi vocem lata poteſtate intelligere, pro omni radice globoſa, (quod & alijs medicis ſolemne eſt) traditurus ſcilicet eo loco non accuratam Holoconitidis deſcriptionem, ſed auxilia adverſus ſecundinas.

2. Holoconitis olivæ comparatur; At Dulcichini tubercula nunquam viſa ſunt ęquare olivæ magnitudinem. *Reſp.* Non omnes olivæ ſunt ejusdem magnitudinis: Quædã certè ſatis exiles. Et quis faciet mihi probabile, Hippocratem per olivas intellexiſſe omnium maximas?

3. Holoconitidis quædam ſpecies eſt etiam non dulcis; quod colligitur ex addito δεικτικῷ articulo, τῆς γλυκείας; quod ipſum involvit differentiam ab eâ, quæ alius eſt quam dulcis ſaporis. *Reſp.* Particula τῆς non notat hic neceſſariò diverſitatem naturarum aut ſaporum. Familiare enim eſt Græcis, articulum addere voculis, evidentię majoris gratiâ, veluti dum Maria dicitur genuiſſe τὸν υἱὸν τὸν πρωτότοκον; neque proinde etiam alius filij mater facta fuit. Apud *Hipp. & Galen.* ſimiles dicendi formulæ affatim occurrunt.

Argumenta validiora ſunt hujuſmodi.

1. *Hipp.* jubet Holoconitidem unam ſaltem dari ad pellendas ſecundinas, aut ad ſummum duas: neq; ſine corrigentibus, cumino, ſeſeli, &c. Unde affirmare eſt, fuiſſe id medicamentum vehemens admodum, quod nonniſi minimâ doſi uſurpari potuerit. At verò dulcichini neq; vehemens, neq; periculoſa eſt efficacia, neque ullo blandiore corrigente indiget; ſed magna copia, & crebro ad ſaturitatem uſque eſitatur, etiam à prægnantibus, ſine omni noxâ.

2. *Galen. expoſ. voc. obſ. Hipp.* deſcribit Holoconitidem herbam agreſtem oleraceam, Dulcichinum verò nihil minus eſt quam tale. Siquidem neque abſque cultura extra hortos provenit; neque oleribus propriè accenſeri poteſt. Ob has rationes non videtur *Gramen Amygdalinum Holoconitidis Hippocraticæ* nomine donari commodè & verè poſſe.

Notabitur hic ἐν παρόδῳ, quod à *Gal. in Gloſſ.* relatum eſt: φησὶ δὲ Διοσκουρίδης, τὴν ἐν ὄρει γινομένην ὀρεοκονῖτιδα ὀνομάζεσθαι. Is *Dioſcorides* non fuit *Anazarbæus*, cujus de materia medica opus auro contra carum hodiè poſſidemus, & magnifacimus; apud quem nihil hujuſmodi reperiet etiam oculatiſſimus. Sed fuit alius ὁμώνυμος *Dioſcorides recentior*, qui vixit non multò ante *Galenum*, patris Galeni ætate, quiq; conatus fuit *Hippocratis* dicta inſolentiora pluribus commentarijs interpretari, teſte *Gal.* ipſo *Præf. Gloſſ.* cujus oportet non magnam fuiſſe apud *Galenum* authoritatem, quippe reprehenſi ab eo ſæpius & erroris damnati.

II. *Anthalium Plinij.* Plinius *lib. 21. c. 15. Anthalium*, inquit, *longius à flumine in Aegypto naſcitur Meſpili magnitudine, & rotunditate, ſine nucleo, ſine cortice, folio Cypri.* Et eodem *l. c. 29. Anthalij, quod Ægyptij edunt, nullum reperi alium uſum.* Hoc

Hoc *Plinij Anthalum* arbitror ego magno diſcrimine diſſidere à *gramine Amygdalino.*

1. Anathalio magnitudo eſt meſpili, figuraq; rotunda. Thraſi nunquam majus cernitur exigua oliva: nunquam rotundum, ſed teres. Si ex *Matthioli* relatis in Ægypto reliquaque Africa, haut multo majus eſt dulcichinum cicere; mehercles, non poterit eſſe Anthalium, quod æquale perhibetur meſpilo.

2. Anthalium eſt ſine nucleo: ſine cortice: Dulcichino cortex eſt áſper, craſſus, rugoſus, tam minime edulis, ut neceſſariò exſpuendus ſit. Eſt illi nucleus, id eſt medulla carnea, dulcis, pinguis.

3. Anthalij nullum uſum reperire potuit *Plinius,* curioſiſſimus quantumvis rei plãtariæ indagator. Dulcichini tubercula quam multis commodis beent rem medicam, paulò ante oſtenſum eſt.

III. Μαμιρᾶς *Pauli Ægin.* & *Avicennæ.* Paulus, *l.* 7. & *Avicen. l.* 2. *cap.* 487. has enarrant μαμιρᾶς proprietates.

1. Acris eſt, abſtergit, mundat, attrahit à capite pituitam, ſi manducetur, aut surſum attrahatur. Tum prodeſt Icteritiæ & doloribus inteſtinorum. Nihil horum dulcichino convenit.

2. Mamiras lignum eſt. Dulcichinum eſt herba.

3. Radix mamiras circumdata eſt nodis, & protuberantijs. At Dulcichinum circa Radicem habet glandulas, inſtar olivarum. Proinde Mamiras & Dulcichinum diſtinctę ſunt ſtirpes.

IV. *Granum Alzelin Arabum. Bellonius* cum *Matthiolo* pro eodem æſtimant Granum Zeilin Arabum, & Dulcichinum.

1. Quia, ex deſcriptione *Avicennæ,* granum Alzelin eſt calidum & humidum moderate; impinguat, ſemen auget. Eædem ſunt Dulcichini Virtutes.

2. *Serapio* aſſerit, granum Halzelin eſſe pingue, boni ſaporis, citrino cortice, alba medulla. Tale verò etiam deprehenditur eſſe Dulcichinum.

Dodonæo hæc non placent, æſtimanti, longum latumq; eſſe diſcrimen inter utrumque. Quoniam 1. Granum Alzelin, ab Arabibus accenſetur frumentis, & inter grana frugum refertur; Dulcichinum vero radix eſt tuberoſa, non fructus. 2. Addo ego: Granum Alzelin dicitur eſſe ciceris magnitudine. Cæterum Dulcichinum quintuplo & amplius ſuperat cicer. Objicit quidem *Matthiolus,* eos qui Africam perluſtrarunt, teſtari, ibidem Thraſi creſcere multo exilius quam hic. Sed nullus fide dignus ſcriptor id fuit profeſſus; videturq; parum veritati affine: Quoniam in oriente, ob cœli ſolique favorem, fructus plæriq; grandiores naſcuntur noſtratibus. Ad Argumenta *Matthioli* reſponſio mihi in promptu eſt.

Quę ab Avicenna & Serapione proprietates Grano Zeilen addicantur, eæ quamvis etiam communes ſint ex parte, Dulcichino; proinde tamen nequit concludi Dulcichinum eſſe Zeilen. Enimverò ſi quidquid eſt humidum calidumq;: quidquid inpinguat; ſemen generat; boni eſt ſaporis; corticis citrini; medullæ albę; id mox eſt granum Zeilen: inferam ego, Triticum noſtrate, aut milium Turcicum, (*Mayzi* ruffum) eſſe granum Zeilen. His enim conveniunt enumeratæ proprietates.

Concludo, Granum Zeilon non eſſe Dulcichinum.

V. *De Malinathalla Theoph.* ambigi poteſt. Quæ *Plin.* ſuo Anthalio, ea *Theoph. li. 4. c. 10. Hiſt.* Malinathallę aſſcripſit, unde *Plinij* locus iſte prorſus excerptus eſt. De Malinathalla ſic *Theophr.* Ἐν τοῖς ἀμμώδεσι χωρίοις, ἅ ἐστιν οὐ πόρρω τοῦ ποταμοῦ, φύεται κατὰ γῆς, ὃ καλεῖται μαλιναθάλλη. Στρογγύλον τῷ σχήματι. Μέγεθος δὲ ἡλίκον μέσπιλον. Ἀπύρηνον δὲ ἄφλοιον. Φύλλα δ' ἀφίησιν ἀπ' αὐτοῦ ὅμοια κυπείρῳ. Hucuſque exſcripſit, & interpretatus eſt *Plinius d. l.* Pergit *Theophraſtus*, & uſum, quem reperire ſe potuiſſe negat *Plinius*, porrò adnectit: Ταῦτα συνάγοντες οἱ κατὰ τὴν χώραν, ἕψουσιν ἐν βρύτῳ τῷ ἀπὸ τῶν κριθῶν, καὶ γίνεται γλυκεῖα σφόδρα. χρῶνται δὲ πάντες ὥσπερ τραγήμασι.

Non præberem me difficilem in eo, ut largirer *Malinathalla Theophr.* eſſe *Dulcichinum*, (uſu enim & viribus omninò conveniunt) niſi eadem obſtarent quæ in *Plinio* jam ante notavi, ſcilicet, magnitudo meſpili, figura rotunda, carentia corticis, & medullæ nimis profectò aliena à Dulcichino.

CAPUT XIV.

RADIX CAVA.

I. NOMEN.

ONERATA quam ornata potius planta hæc eſt nominib. nonnullis, quæ apud antiquos quidem Botanicos legũtur: ſed impropriè, ac ſine fundamento huic plantæ aſcribuntur: (de quib. in *corollario*) qualia ſunt, *Leontopetalon, Eriphion, Chelidonia, Theſium, Capnos Plinij, Hyacinthus purpureus Tragi, Piſtolochia Fuchſij, Ariſtolochia vulgaris rotunda.* Rectius appellatur *Radix Cava, Fumaria Bulboſa.* Aliqui indigetant *tonitrufugam*, quaſi poſt tonitrua marceſcat. Germ. Holwurtz/ Hanenſparen/ Boenekens Holwortel/ Holwortele.

II. DIFFERENTIÆ.

I. *A magnitudine.* Radix cava eſt major & minor.

II. *A florum colore:* purpurea, alba, viridis.

III. SPECIES.

I. *Radix cava major, purpureo flore.*

II. *Eadem flore albo.*

III. *Radix cava minor flore purpureo.*

IV. *Eadem minor flore albo.*

V. *Radix cava flore viridi.*

VI. *Radix cava omnium minima.*

Reperitur & aliquando major, minorq; Radix, non cava, ſed ſui *plena & ſolida.*

IV. VIRES ET USUS.

PLANTA hæc præcipuè ſervit REI MEDICÆ. Calida eſt & ſicca; abſtergens, leniterq; aſtringens. Cõmuniter & proficuè adhibetur ad *gargariſmata*, in uvulæ prolapſu & tumoribus, in angina &c. Incidit, & attenuando reſolvit, diſſipatque craſſos humores. Chi-

RADIX CAVA.



Chirurgi Batavi plurimum utuntur radice ad diſpellendos *lumbricos*, arbitrati eſſe veram piſtolochiam: quod illis concedi poteſt, ſiquidem & ipſa radix cava non minus vermibus adverſatur: cui rei nihilominus aptior eſt Radix cava minor; qua, quam major, gratiore paulo eſt ſapore. Eſt *vulneraria* etiam planta hæc, ad ſinuoſa ulcera, vulneraq; perutilis. Dicitur & *hepar* liberare ab infarctu; & pondere drachmæ bibita, *alvum movere*.

V. CULTURA.

EX *ſemine* provenit & *tuberculis*.

Amat loca umbroſa. Nec uſq; adeo colitur in hortis, cum paſſim in ſylvis ſponte ſatis luxuriet. Initio veris mox germinat, floretq;. Menſe Majo nihil fere ejus amplius ſupereſt; adeoque paucis ſeptimanis annuatim cernitur.

Extra id tempus, quo ſe oſtentat, ſi radicem quæras, præter pulverem invenies nihil.

VI. COROLLARIUM.

D*Odonæus* eruditè demonſtratum ivit, Radicem cavam, neq; eſſe priſcorum *leontopetalum*; neq; *Eriphyon* neq; *Theſium*: neq; *καπνὸν phragmitim*, aut *Chelidoniam*.

Non 1. *Leontopetalum*, quia teſte *Dioſcor*. 1. hujus caulis in ſurculos multos diſpeſcitur. 2. Flos ei qualis Anemonæ. Quorum neutrum conveniens eſt radici cavæ.

Non 2. *Eriphyon*: (id eſt verno tempore germinans) aut *Chelidonia*: (florens ſub hirundinum adventum) quia nimis generales ſunt hæ voces, competentes vel ſexcentis plantis. Neq; Eriphyon; (id eſt hœdina, ab ἐριφίῳ, hœdulo) quia teſtibus *Apulejo* & *Gal*. 1. ea herba Apio ſimilis eſt. 2. Radix ei inſtar cepæ, è qua aliæ radiculæ pullulant. Etiam horum nihil in radice cava reperitur.

Non 3. *Theſium*; quia hujus apud antiquos nulla extat plena perfectaq; deſcriptio; ſed levia quædam ſigna, modo apud hunc, modo illum autorem; è quibus de tota planta certi quid arbitrari nemo poteſt.

Non 4. *Capnos Plinij*: quia 1. iſta commendatur ad oculorum affectus. 2. ramoſa eſt, & vicinis ſepimentis ſe applicat, ut memorat *Plin*. ipſe *l*. 25. *c*. 13. quæ à Radice cava aliena ſunt.

Hyacinthi appellatio quam ineptè affixa ſit Radici cavæ, intelligunt etiam Tirones rei herbariæ.

Piſtolochia & *Ariſtolochia* rotunda, ſunt ſtirpes, tota ſpecie differentes ab hac radice cava; quod cum notius ſit, quam ut demonſtratione egeat, non requirit prolixam explicationem.

FINIS.

JOHN INNES HORTICULTURAL INSTITUTION
LIBRARY